



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen


Staats- und Universitätsbibliothek Bremen


Digitale Sammlungen

BIBLIOTHECA
BREMENENSIS.
TOM. II.


Brem. c. 53

Brem.
c.
53





Brem. c. 53.



BREMÆ

Historico-Philologico-

THEOLOGICA.

Clasis Secundæ

FASCICULUS PRIMUS.



BREMÆ

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

Typis Rudolphi Hofferi. MDCCXIX.

VIRO

*Magnifico, excellentissimo,
ac valde venerando*

**HENRICO
MUHLIO,**

Divinioris scientiae Doctori,
ac primario in *Kiloniensi* Aca-
demia

PROFESSORI,

Ejusdem Academiae **PROCANCEL-
LARIO,**

**SERENISSIMI CIMBRORUM
PRINCIPIS**

ac consiliis ecclesiasticis, & concionibus aulicis
praecipuis,

HOLSATIAE SUPERINTENDENTI
Generali,

DE HIS TAM SPLENDIDIS MUNERIBUS
ubique meritisimo,

Singulari patriae, quam ei Cauci nominis gloriam
BREMAM nostram contigisse nobis gratulamur,

ORNAMENTO,

POETAE, PHILOLOGO, HISTORICO, THEOLOGO
in comparabilis

Septimum hunc hujus
BIBLIOTHECAE
THEOLOGICAE
FASCICULUM,
Eximiae existimationis pi-
gnus, dant, dicant, atque
consecrant,
atque, ut promissi memor, ex
DIVITIBUS ORIENTIS ATQUE
OCCIDENTIS
LITERATI ORBIS SPOLIIS,
quibus onustus est,
nonnulla nobis largiter communicare,
ATQUE HIS CONATIBUS FAVERE
VELIT,

Impense nomine publico orant

EDITORES.

Continet hic Fasciculus

- I. Campegi **VITRINGA**, F. de lucta Jacobi ad locum Gen. XXXII. 24-32. diff. alteram p. 5.
- II. Joh. D' **OUTREINII** de velando capite muliebri propter angelos ad locum I. Cor. XI. 10. Diff. p. 49.
- III. Gerhardi **CROESII** de eodem loco cogitationes p. 101.
- IV. Joh. D' **OUTREINII** ad eas cogitationes *ἐπισημίων* p. 107.
- V. Frid. Christ. **NEUBOUR** de exercitio corporali ad locum I. Tim. IV. 7, 8, diatr. p. 113.
- VI. Theod. **HASAEI** de vita ac morte J. van der **WYCKII**, Syndici Bremensis & **MARTYRIS** comment. p. 131.
- VII. Herm. **DEUSINGII** Exegesi in Psalmi XCIX. p. 174.
- VIII. Observationē, qua probatur *Clementem* Alexandrinum punctorum atque accentuum Hebraicorum non meminisse p. 191.
- IX. Catalogum V. D. Ministrorum defunctorum, Reformatae religionis, qui in ecclesia **AMSTELODAMENSI** Belgica, Gallica, atque Anglicā docuerunt p. 198.

Prae-

Praefatio.

LECTORI BENEVOLO,
VERITATIS, quae juxta PIETATEM
est, studioso

S. PL. dicunt

THEODORUS HASAEUS,

et

FRID. ADOLPHUS LAMPE,

Servi JESU CHRISTI in Ecclesia
BREMENSI.

PRIMA BIBLIOTHECAE nostrae
clasis intra illos temporis limi-
tes, quos nobis primum po-
suimus, instructa est feliciter.
Nunc ad alteram DEI ter Opti-
mi, terque maximi auxilio, tuoque fa-
vore freti, adornandam nos accingi-
mus. Noli tamen expectare, nos pro-
lixo praefatione tua tempora moratu-
ros. Quae ad hoc institutum pertinent,
ex illo prooemio, quod prioris tomi limi-
ni

ni præfixum cernis, cognosces abunde. Eaedem porro, annuente DEO, erunt consilii nostri rationes, iisdem legibus, quas tum ipsimet nobis figebamus, nos porro adstringemus diligenter. Nisi forte, qua ratione aliquid in melius corrigi, atque emendari posset, nos docueris; tum vero velim tibi persuadeas firmiter, eâ tuis admonitionibus nos usuros cum animi voluptate, quâ nulla possit esse impensior. Majorem à Typographo elegantiae & chartae & typorum adhiberi & potuisse & debuisse curam confitemur, sed & huic incommodo obviam itum est, posteaquam operis curam alii Bibliopolae demandavimus, qui illius nitorem atque ornamenta sibi magis curae cordique esse, ipso opere ostendet. Unicum, quod ex iis, quae polliciti eramus, desiderare posses, hoc est, quod nulla appareat Academiae vel inclutioris Ministerii, etiamnum florentis, Doctorumque in iis docentium, descriptio. Sed cave haec nobis, quorum in hac re culpa omnino nulla est, adscribas. Quidquid enim operae insumimus, non licuit eius.


ejusmodi accuratum Catalogum a quoquam impetrare. Si quid tamen heic neglectum est, id imposterum satis a nobis compensabitur. Quem in finem rebus Theologicis ac literariis faventes, etiam atque etiam rogamus, nolint operam suam in hac re erga nos claudier. Res facillimo negotio poterit confici. Nihil enim aliud nobiscum communicari volumus, quam Clarorum Virorum, qui in Academiis divinas humanasque scientias profitentur, (1) nomina (2) patriam, (3) nativitatis annum; (4) munera ac dignitates, quibus olim frui sunt, ac fruuntur etiamnum (5) Libros non omisis dissertationibus brevioribus, ab iis publici juris factos, adnotatis editionis loco, anno, ac forma. Si quis in hac re, atque in aliis, quae ad res in ecclesia gestas, spectant commemorandis nos adjuvabit, is non solum gratiam haud tralatitiam apud nos inibit, sed & literatos omnes, immo ipsos Academiarum Doctores, quorum isthaec scire, nisi omnino fallimur, haut parum interest, majorem in modum sibi devinciet. Neque nos ullum officii

)(3

genus

genus a nobis unquam frustra desiderari
 patiemur. Quod si & meditationibus
 tuis, quas ad nos transmittes, earum
 argumenta, eo modo adnotatis para-
 graphis volueris praefigere, quo id a no-
 bismet ipsis factum esse vides, rem gra-
 tissimam non nobis solum feceris, sed
 & Lectori, cui ita uno veluti oculi ictu
 totam tractandorum summam cognosce-
 re, erit integrum. Indices ad calcem unius-
 cujusque duodecimi fasciculi relegandos
 esse judicavimus. Quod ita tuis com-
 modis magis consuli, operaeque, quam
 in investigando adhibebis, parci aliquan-
 tum posse arbitraremur. Haec te vole-
 bamus, amice Lector. Tu his conati-
 bus nostris, tuo bono, quin potius pu-
 blico, unice consecratis, fave, atque,
 ut iis diu favere possis, rebus laetis,
 atque ad voluntatem tuam fluentibus
 longum utere. Scripsimus Bre-
 mae Caucorum, postr. Kal. Sept. a.
 clo lccc XVIII.

CAM-



I.

CAMPEGII VI-
TRINGA, F.

DISSERTATIO THEOLOGICA
SECUNDA, (a)

DE

LUCTA FACOBI,
Genes. XXXII. 24 -- 32.

CAP. III.

Quo propositæ examinantur Sententiæ
Doctorum Virorum de *arcana significa-*
tione Rei geste, & producitur
illustranda.

LGo vero unumquemque cogitatâ
ratione utentem sic habiturum fo-
re judico; scientiam earum rerum,
I. Fascic. A quas

(a) Prior ornat fasciculum sextum tomi prioris.

quas superiore Disputatione patefecimus ;
 novæ, & gravioris quoque meditationis sibi
 imponere necessitatem ; qua obscuras & la-
 tentes rationes facti tam mirifici, quale est
Colluctatio hæc Jacobi cum Angelo Jehovæ, para-
 tas atque expeditas habere annitatur. Admi-
 ratio ex novitate rei improviso oblata non
 ingrata neque injucunda nobis accidere solet :
 sed eam quæ ex ignoratione causarum oritur,
 (& oritur ut plurimum) diuturnam esse nolu-
 mus, quin imo multo etiam acrius, quam
 maxime potest, vi sua utitur mens, ut se stupo-
 re veluti correptam ac complicatam evolvat,
 & expediat. Et ea quidem, quæ *reconditarum*
rationum hujus gesti Divini; eadem *mystici* e-
 jus *significatus* erit indagatio. Ita enim, si quid
 subito præter opinionem à quopiam fieri ani-
 madvertamus, in se facile & simplex factum,
 sed cujus neque necessariæ, neque opportu-
 næ, neque ullæ idoneæ rationes; vel aucto-
 ris levitatem temeritatemque accusamus, vel,
 si de eius gravitate & prudentia constet, cir-
 cumspicimus arcanam ejus rationem, cer-
 tumque animi consilium, editum vero effe-
 ctum tanquam *expressum signum*, ac veluti ta-
 bulam pictam attente consideramus; ut ex
 operis modo ac ratione tanquam ex lineamen-
 tis *sententiam agentis arcanam externo facto re-*
spondentem perspiciamus. Id attentionis &
 perspicaciæ genus olim imprimis usu venie-
 bat, cum Philosophi discipulos præceptis in-
 sti-

stitutisque sapientiæ verbis non tantum & oratione, sed signis quoque ac gestu instruerent. Quin sacræ Tabulæ utriusque Fæderis testantur, non raro visum fuisse etiam Deo O. M. eâ ratione per Prophetas mentem suam de qualibuscunque rebus mortalibus edere. (b) Iis vero in casibus aliam patet esse notitiam ipsius facti, exhibitivæ signi; aliam, mentis & consilii agentis arcani: & si literis consignatum habeamus doctrinale signum; alium esse sensum proximum *verborum*; unde *literalis & historicus* dicitur; aliam significationem *mysticam*, scilicet *mentis ac intentionis* eo facto expressæ, & effigiatæ.

II. Sic aperuimus veram originem & naturam duplicis à Theologis distincti sensus, seu *literalis, historici, sive mystici, & spiritualis*; qui constituitur ex detectis rationibus in mente agentis præformati. Apparet etiam, vera & iusta de ratione posteriorem notari & investigari. Si enim in Divinis Scripturis species quædam præter ordinem Sacris Prophetis à Deo oblata esse referatur, si novum & ignotæ rationis jussum pronunciatum; vel & singularis & admirabilis eventus, seu præsentissimo Dei Numini in solidum tribuendus; seu Ejus moderatione varie temperatus:

A 2

quid

(b) Exempla clarissima ex multis hæc sunt: Gen. XV. 9. 17. Jcf. XXVIII. 8. Jer. I. 11, 13. Matth. XVII. 2. Act. XX. 11.

quid æquius est, quam ut anquiramus veras rationes, quamvis non adscriptas, quas præstantia naturæ Auctoris jubet esse gravissimas & prudentissimas? Neque hæctenus mihi quemquam licem moturum confido, neque etiam fas est.

III. Verum ubi jam ad eam quæstionem ventum est; quam late pateant inquirendæ istæ rationes arcana? fit divortium sententiarum, quarum altera, meditato huic meo labori inimica, fructum quoque mihi ejus omnem adimeret, si vera foret. Invaluit jam apud potiorem partem Theologorum nostrorum ea sententia, neque immerito; aliquando Divini mandati, sive facti, sive institutionis sub V. T. mentem quærendam esse in proximis occasionibus, circumstantiis, vel temporibus: non raro autem etiam in remotis; & in ævo beato Evangelii indagandam: adeo ut finis alicujus pericopæ libri V. T., quæ qualemcunque Dei revelationem continet, sæpe is sit; ut, seu Auctorem hujus felicitatis Christum Dominum, Ejusque vel Naturas, Officia, Status, Beneficia electis parta, adumbrate præformet; seu Ecclesiæ etiam facta præfagiat: quas expositiones *allegoricas* sive *typicas* proprio nomine signare solent. Alii, inque acutissimi judicii Viri priorem interpretandi methodum tantum adoptare; posterius genus expositionum vilipendere, pro mens ingenii allusionibus fundamento destitutis

habere, in historicis V. T. explodere, ipsi fe-
 ctari nunquam, graviora quoque dicturi, nisi
 Scriptorum N. T. auctoritate continerentur.
 Odium studii ejus peperit Doctis Viris fastidi-
 um, quod bonæ mentis hominibus creare
 debuerunt insulsi illi & sine discrimine ullo
 ubivis fere convicti typi, in quibus tam olim,
 quam nunc homines tanquam in imaginosis
 speculis sui cerebri species incultas & imagi-
 narias exhibent. Equidem si licentia pluri-
 um re quâpiam optimâ intemperanter utenti-
 um usum etiam abolere posset: desistendum
 ab instituto censerem; ipsamque adeo medi-
 tationem hanc meam quamvis placentem pre-
 merem. At id neque æquum aut bonum est.
 Alienus error in inquirendâ veritate alii remo-
 ram non ponit; neque hoc in negotio mul-
 tum periculi ex eo metuendum est; cum à
 sanâ ratione facile notetur. Dupliciter hic à
 normâ deviatum est; vitiumque primum id
 fuit, quod in *litteris & vocibus* mira mysteria
 quasi verint homines, sed, si unquam, rarif-
 sime invenerint. Non enim in verborum
 structurâ, numero, sono; sed in *rebus per
 verba significatis* Spiritus S. mens indaganda
 est. Stultitiæ auctores fuere *Kabbalistsæ* Judæi,
 qui literarum sacrarum figuram, dispositio-
 nem, numerumque ad calculos vocantes eâ
 ratione pretiosissimum depositum, quod in
 Codice Sacro habebant, unâ cum bonâ men-
 te deperdiderunt. Eorum socii & imitatores

mox ab initiis Christianismi *Gnostici*, aliique *Judæo-Christiani*, ut ex obscuris & nullorum auctorum libris iis temporibus procusis videre est. Et optandum foret, hanc inanem futilissimæ scientiæ gloriam iis integram & illibatam concessissent optime de re Christianâ meriti Patres; neque ipsimet quoque tam acute ad hos calculos sedissent, non quod somniorum eorum suavitas tædiofi laboris operæ pretium iis invidenda sit; sed quod dignitati & majestati Verbi Divini, quæ ei maxima est, parum confulerint. At alterum in typis sectandis vitium & longius, & diutius grassatum est: quod in omni parte Divini Verbi, ea etiam quæ actiones humanas, nihil paradoxo continent, narrat, conquisiti fuerint sensus longissimum prospectum dantes *citra necessitatem, vel ullam gravem, nec sæpe probabilem rationem*: ita ut ubi vel facti; vel jussi, vel prædictionis Divinæ adsunt rationes naturales, promptæ, proximæ, idoneæ; ibi peregrinæ arcesantur e longinquo, nimirum ex ætate N. T. in qua ut plurimum figi mentem Spiritus S. observes: neque orationis coherentiâ, neque simplicitate, neque bonâ ratione, quæ ad vim & pondus argumentorum fidem nostram comparatam esse jubet, isti ardori modum aut ordinem ponere valente. Hinc est, quod typici & adumbrati sensus expositiones undique jam aures audientium circumsonent; ac Interpretes Scripturæ S. in im-

men.

menso illo xvi N. T. spatio, propter factorum omne genus multitudinem jam liberrimo, suis definitionibus tanquam cæcis digladiationibus dominantur, punctim, cæsim, nihil parcentes: mirantibus equidem quamplurimis, at diverso animo.

IV. Sed erratum est, sed modum excessere plurimi: ideone nobis veri investigandi omnis cura est abjicienda? Aliis in verbi Divini meditatione peregrinas species mixtas veris admittentibus; cæteri lumen ejus retortis & malignis oculis intuebuntur? Multis abutentibus typicis, nos omnem eorum usum eliminabimus? Quid? cum Christus Dominus & Apostoli nobis diversam viam præverint, ut ex lectione N. T. palam est; nobis exempla sua imitanda noluerunt? Sed adsunt clarissima testimonia, consilia, monita; hanc plenæ intelligentiæ librorum V. T. clavim esse, ut eâ mente ad eorum lectionem accedamus: ea, quæ sub meliore OE. obtinerent, præcipue Audorem illius, Messiam, curante sic Sapientiâ Divinâ, depicta præformataque esse. (c) Et ne quis putet, se, si credat, vim quandam majorem suæ rationi adferre debere: dicere non vereor; nihil quicquam hoc instituto esse convenientius, nihil rationalius. Cum enim

A 4

in

(c) 2. Cor. III. 13, 14, 15, 18. Col. II. 17. Hebr. VIII. 5. X. 1.

In universum admissum sit: voluisse Deum per orationem, vel signa rerum prædocere eventus sive singulorum hominum, seu Gentis Judaicæ, in longum tempus; quid causæ, quod Eum Filium suum, resque maximas quondam ab eo peragendas nunquam designasse dicas? An leve id fuit, vel indignum, quod inter cætera delinearet Deus? Nihil ajo majus esse, nihil gravius in consiliis Divinis, nihil scitu dignius humano generi, & Ecclesiæ. Etgone jam probabile esse quispiam sibi persuadere potest; (ad oculatissimos etiam & ingenio præstantes viros provoco:) Deum, quam plurima omne genus per signa & symbola ante describentem, ea quæ gravissima sunt, & quo multa sua opera longo ductu collimarunt, perpetuis tenebris & oblivioni mandasse? Si quis vero tandem studium hoc indagandorum typorum incertius, & si cum aliis comparetur, obscurius esse objiciat: is vel allata modo pro ejus veritate argumenta motu declinabit cedens; vel id tantum dicet, cautius & circumspectius hic esse producendum: id quod certum ipsemet habeo, neque unquam pedem nisi fidem & rationem vultum promovendum esse judicans. Eam sententiam hoc in specimen præstabo; & si rem ipsam minus recte quorundam judicio consecuti videamur, voluntate tamen & methodo proxime accedemus.

V. Ergo *mysticum* rei hujus gestæ signifi-
 catum esse, jure jam contendere licebit: ra-
 tiones enim hujus facti fuisse oportet. Di-
 vina Persona negotium facessivit Jacobo,
 eum impugnavit, ad incitas redegit, anxit,
 vulneravit: at quo consilio? neque enim in-
 certo animo discurrens, sed pugnare & fau-
 ciare volens, oblato primo homini bellum
 indixit Angelus Jehovæ, atque ita in semiani-
 mem jam metu Jacobum impetum fecit.
 Quod vero rationis Angelo agenti fuisse ju-
 dicas, id sensus arcani habebis. Et hic *a.* se
 offert sententia eorum Doctorum Virorum,
 qui simplici historiæ tantum inhærent, &
 ex proximis circumstantiis & occasione pe-
 tendam mentem gestæ rei dicunt, quæ hæc
 fuerit: Ut difficili hac concertatione, sed
 feliciter terminanda, ab anxietate revocaretur
 Patriarcha, qua jure afficiebatur propter
 instantem jam congressum cum Fratrem, male
 in se affecto, & viribus valente. Hoc autem
 evento Divinitus edoctum fuisse pium Vi-
 rum: discrimen quidem se grave aditurum,
 sed prosperum exitum Deo moderante habi-
 turum. Agnosco rationem facilem, sim-
 plicem, paratam. Quin ex nostra interpre-
 tatione addita quoque est ab ipso Angelo
 Gen. XXXII. 28. eum in modum; *Foris fuis-
 tum Deo, quanto magis prevalebis hominibus?*
 Sed altera quæstio est: utrum ratio hæc sola,
 præcipua, idonea, & sufficiens hujus facti sit?

an vero pro *occasional* duntaxat sit habenda? Prius tuentur Docti Viri: sed an verosimiliter? judica. *α*. Itane respondet allegatæ causæ paradoxum hoc factum? non sane agentis personæ dignitas & majestas, non actionis genus novum & prorsus mirificum. Estne enim credibile, Deum Immortalem cum homine in arenam descensurum, & per sat longum tempus veluti parem cum pari depugnaturum; idque ad consequendum tale quid, quod solo verbo, quod somnio, quod instinctu potuisset: nimirum ut confirmato animo esset Jacobus? Adeone temere præsentissimum Dei Numen in res humanas inducemus? *β*. Quid vero Angelum Jehoyæ, illum qui custodem agebat piorum istius temporis, pugna referentem facimus ferum Esavum, male in fratrem affectum? in cujus utique persona, natura, indole nihil erat, nedum ipsa hominis atrocitas, quod repræsentare Divino Angelo conveniebat.

VI. *γ*. Si ea sola intentio fuisset hæc agentis Angelo; ut Patriarcham confirmaret, & quomodo ipsi postridie res feliciter cum Fratre cederet, edoceret: tum ita rationem & modum istius *signi* comparatum fuisse oportuit, ut eventum quam clarissime & accurate exhiberet: tum inter *principales* circumstantias prænotationis, & rei postridie gestæ, proportio & convenientia appareret. At tantum

tum abest; ut gestorum inter Angelum & Jacobum, ac Esavum inter & Jacobum, par sit ratio, ut longe alia, diversa, contraria acta sint. Quapropter vel malum augurem fuisse Angelum dicas necesse est; vel Eum actione hac simul plura & majora, formæ gesti plenius responsura, prospexisse. Argumentum patebit irrefragabile ex instituta comparatione. (a) Capitalis circumstantia, quin ipsa materia actionis *lucta* fuit: Vim Jacobo intulit Angelus, afflixit eum, graviter exercuit. Atqui ne quidem lis vel contentio fuit postridie inter germanos Fratres. (b) Vulnus quoque à quo claudicavit ex hac concertatione cum Angelo retulit Jacobus: sed eum inter & Esavum omnia placide & amice transacta sunt, nihilque noxæ aut detrimenti ab eo accepit. (c) a virili animo & fortitudine in hac *Lucta* edita collaudatur a suo S. Adversario Jacobus, idcirco *Israël* vocatur, virtutique huic ejus adscribitur felix ex periculo exitus. Verum quomodo id applies ad gestum Jacobi cum Fratre? non tantum enim inter ipsos non fuit eo tempore concertatio: verum etiam comis, blandus, fectus, supplex ex Esavi manibus se expedivit Jacobus; non strenue, viriliter, mascule sibi suisque viam quam vellet aperuit. Nihil minus itaque quam virtutis & virilis animi gloriam ex ea occasio-

sio-

sione sibi sumere potuit Jacobus, vel ei tribuere Angelus.

VII. Ergo omnibus bene consideratis, & inter se collatis, *extremum duntaxat exitum* Monomachix hujus sacrae ex subssecuto casu diei posteræ ad liquidum perducere possumus; quatenus Jacobus vivus ex manibus Fratris excessit, ac erupit. Hunc itaque significatum, utpote verum, & ab Angelo intentum, retinemus. Sed si sive a falsitate, sive a levitate (quæ maxima est, ubi res miras & paradoxas aliquis molitur, & longa actione efficit sine consilio aut intentione) Divinam Personam absolvere velis; (& quis addubitante stultior?) alibi apertam scenam circumspicias oportet, in qua convenientiores gerentes personas, easque partes agentes, quas hic præscriptas vides, deprehendas. Sed quid, inquis, discedis, quid factis non habes allegatam ab ipso S. Historico rationem? Quasi vero rem unam semper intendat in actione sua etiam homo sapiens; vel Scr. S. cunctas in Divina mente repositas causas extraordinarii actus semper adscribat! Considera eidem huic Jacobo quod accidit, cum in Mesopotamiam proficisceretur; quando idem hic Angelus per quietem ei visus est stare in summitate scalarum sidera quoque ferientium: nonne id etiam factum est ad confirmationem Jacobi, periculosum iter adituri? patet ex Gen. XXVIII. 15. Sed
ideo.

ideone excludes graviores & sublimiores hujus Divinæ apparitionis causas, idque contra ejusdem ponderis argumenta, & ipsius Christi Domini auctoritatem (d) ? Aliæ itaque causæ actionum leviores sæpe sunt, solæ nos non moturæ; aliæ accedunt graviores, quarum intuitu res efficitur: quæ, ut hoc in negotio, potissimum inquirendæ sunt.

VIII. Solidiorem ergo cognitionem facti hujus me anquirentem non morabitur Augustini Celeberrimi Auctoris consideratio β, a verosimili etiam recedens. Ille Angelum Luctatorem facit typum Christi Domini, Jacobum vero Gentis Judaicæ pertinacis, quæ Domino se convincenti adversariam se dedit, ei vehementer restitit, imo ei prævalere visa est; quod mortem ipsi intulerit (e). Sed ea ratione planam historiam, si dicere liceat, pervertit Vir Doctissimus: Quippe fortis Jacobi defensio non in vitio, sed in laude ponitur, imo ab ipso Angelo encomio ornatur propter virtutem: sed feralem Judæorum pervicaciam collaudandam non ipse dixerit Vir venerabilis. Ne jam memorem; hac ratione pio Jacobo indignam personam imponi. Ejusdem farinae cæteras veterum Doctorum allegorias, ut & ineptias Judaicas, bene fecero prætermittens.

IX. Ve-

(d) V. Joh. I. 52.

(e) De Civit. Dei, XVI. 39.

IX. Veni jam ad γ . recepram communiter sententiam, omnino sublimius quid huic rei subfuisse ad instructionem Jacobi & Ecclesiæ: quæ jam interpretatio varie a diversis instituitur, & adornatur; sed in eandem summam redit, ut: Quemadmodum Jacobus ab amantissimo sui Angelo oppugnabatur, ad angustias adducebatur, inflicto etiam vulnere exercebatur; ita se rem habituram cum piis, & Ecclesia in universum per omnes mundi ætates: Ipsam passim exercendam; plus minus, afflictionibus & tentationibus, quibus ipse Deus eos castigabit ac corriget; non quidem ad eos perdendos, sed ad contudendam *carnem*: neque adeo etiam omnibus suis viribus credentes vexaturum, aut supra id, quod possunt ferre: Ipsum enim Deum vires iis suppeditaturum, & Spiritus S. virtutem cum iis communicaturum; ut Ejus vigore imbutis suspiriis ac precibus vincant veluti Deum, id est, flectant ad misericordiam: & sic benigne curaturum Deum, ut felix laborum & tentationum hujus vitæ exitus eveniat credentibus: ita quidem ut luxato & imminuto terrestri hoc tabernaculo ii tamen in omnibus plus quam victores laudandi sint a Deo, ubi eum aspicient in *Peniele* cœlesti, ubi de facie ad faciem videbunt Jehovam. Sic ad lineas Historiæ hujus ductas habe meditationes *Spirituales* Theologorum; quas latius explicitas,
&

& ex S. S. illuminatas deprehendes; apud Cl. Rivetum (f), Heideggerum (g), Mommam (b) & præcipue Cl. Burmannum (i).

X. Etsi autem miro consensu in eam expositionem conspirent Eruditissimi Interpretes: ea tamen intentius perpensa, ab aliquo tempore a me impetrare non potui, ut illam Spiritus S. mentem referre judicarem. Rationes quæ obstiterunt hæ potissimum mihi fuere: *a.* Quod singularis, distinctissimi, & in omni forma ac ratione sua definiti gesti, quod rem quandam futuram præmonere inter omnes constat, interpretatio afferatur vaga, laxa, ac prorsus indefinita: atqui alterius ad alterum nulla est proportio. Ea quæ arcano sensu Luctæ hujus propheticæ contineri volunt Docti Viri; ad hæc tria capita commode redigas: *i.* pios generatim omnes in hac vita conflictaturos rebus adversis; tristia & acerba passuros, permitte Deo, a malis hominibus: diversimode castigandos ex voluntate Divina, ut in severum ordinem redigantur. *ii.* Attamen amantem electorum suorum Deum, vires iis suffectorum pares ferendis patienter molestiis; avertendo etiam rigori severitatis suæ

(f) Exercit. in Gen. C. XXXIX.
 (g) Hist. Patr. Tom. II. Exercit. XVII.
 (b) Hist. Patr. L. I. Cap. VIII.
 (i) Comm. Belgico ad h. C.

suæ: collato in eos dono precum per Spiritum S. III. Ita felicem iis fore laborum & discriminum exitum; mortem enim ipsis viam facturam ad cælos. Quocunque jam circumferas oculos, ubique eandem scenam observabis. Hæc omnia se ita habuerunt temporibus Abelis & Noâchi, Abrahami & Mosis, Davidis & Christi: ac porro per omnium Sæculorum decursum, ubi aspectum defiges hujus Luctæ propheticæ? ubique eadem rerum facies. Enim vero bene meditatus dicere non vereor: simile exemplum ex Scripturis prolatum non iri; ut illustri vaticinii, præsertim Vifi divinitus oblatis, cum quo casus hic noster maxime comparandus est, delineatio vaga sit; nullasque res futuras singulares, personas, tempora, sigillatim exprimat notetque.

XI. β. Argumentum mihi suppeditat penitior contemplatio illarum doctrinarum, quas in medium adducunt Docti Viri hac re gesta significatas. Nihil est eorum quæ afferuntur; quin ex cognitione elementorum religionis sit notissimum; vel certissima & constanti experientia comprobatum. Animadvertite, quæso, has & similes alias doctrinas: Viam ad cælos tendentem arduam esse; nec inoffenso pede calcari: fidelibus multa mala, etiam mortem subeundam: sed quid prius experiundo discunt ii, qui primum etiam gressum huic viæ impresserunt?

quid

quid in humanis notius? In angustiis constitutos pias preces decere: Id moralis etiam veritatis monitum est. Denique, per gratiam Divinam pios beatos tamen quondam fore: at tale dogma id est, sine cuius certa fide nemo quidem ad Cultum Dei animum rite applicare potest; ut est Hebr. XI. 5. Atqui in notabilibus Prophetiis, vel Apparitionibus Divinis non *sole* res omnibus compertæ, nunquam non ex clarissima institutione exploratæ, & constantissima experientia comprobatæ, docentur: sed *præfigurantur* obscura, abstrusa, ex constitutione & libero Dei Consilio quondam eventura: id sanatio, id cogitatio finis & usus prædictionum, id earum exempla, quæ in Scr. S. reperiuntur, comprobant.

XII. 7. Id quod materiam & veluti substantiam *signi* hujus *prophetici* constituit; non reperio in allata interpretatione. LUCTA fuit Angelum inter & Jacobum; studium, nisus, contentio labefactandi: verum si id quodammodo in relata actione Dei: non sane in renisu piorum obtinet, nisi tenuissimo sensu. *Luctam* ratione Dei hanc faciunt: quod affligat, castigetque dilectos suos: hætenus convenienter: credentium autem *reluctationem* exponunt de piis suppliciis, quibus vim *castigantis* Dei avertere conantur, i. e. Deum propitium efficere. Verum ita disparet *mutua lucta* Jacobi cum Angelo, quæ

tamen *analogica* interpretatione ante omnia exprimenda erat. Fateor, si quis precibus acriter instet, & quod dicitur, *contendat*; diluto ac tenui sensu eum dici posse cum Deo *prece pugnare, vel luctari*: sic enim D. Paulum loquentem observes Rom. XV. 30. ubi; *ἀγωνισασθαι πρὸς τὸν Θεὸν ἐν ταῖς προσευχαῖς*: attamen perinde constat, *improprietum, ac metaphorice* verbum adhiberi, (& potest multis modis) ideoque in signum metaphoræ apponitur ἐν ταῖς προσευχαῖς, *precibus*: ab ea vero, vel similibus phrasibus non *luctæ* aliqua vera idea subjicitur; sed tantum verbo *pugnandi, vel luctandi* actionis alicujus contentio, & ardor denotatur. *lucta* enim sic vere dicta; sive sit corporis, sive animæ, conficitur ex motibus vel actibus *eiusdem nature* sibi mutuo oppositis. Ita castigantem patrem filius exorans, non contra eum *luctatur*: quamvis prece contendat. Sic si mutuis ictibus invicem feriant pugiles, *lucta* vocabitur: sed altero pugnis antagonistæ contuso, & jam non cæstus, sed preces & deprecationes opponente, cessat *pugna*, soluta est *lucta*. Sic apparere jam puto, in ea, quam examinamus, explicatione *Luctæ Jacobi cum Angelo, luctam* non reddi.

XIII. Si vero nonnullis rigidius urfisse videar naturam *luctæ*: illis etiam æquitatem meam probavero; si de similitudine, vel dissimilitudine *Luctæ Jacobi, & ejus, quæ Eccle-*

Ecclesiæ cum Deo est, Historia S. tanquam lumine admota judicare velint. Eane Jacobum eo, luctantem facit, quod supplicaverit? Si omnino; expositio Doctorum Virorum hac parte liquida est: sin minus; evanescit. Enimvero pium Jacobum non duntaxat lacrymas & supplicia, verum etiam vim vi Divinæ opposuisse, in superioribus (k) planissimum fecimus: & vix ullum Interpretum observavi, qui non ipse moneat: & quidem jure summo. Utique *invaluit* contra S. Antagonistam Patriarcha; repulit vexantem corpus, *viriliter se gessit*; ejus triumphalis cantus fuit: *non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, vs. 26. Ille vero fletus & supplicatio Jacobi, qui memoratur, non refertur in rationes virtutis, sed pietatis Jacobi. Verum ea typica expositio in lacrymis & patientia Jacobi omnem illius renisum collocat; silentio præterit, supprimit reciprocos Patriarchæ ictus: & necesse erat ad tuendam sententiam. Si enim a precibus & patientia discesseris: quod plagis Divinis objiciat Ecclesia, nihil erit; nec quod juste possit, nec quo possit Deum *vincere*. Cum itaque Historia S. *Lucta Jacobea* ratione excludat id, (preces puta) in quo unice *reluctatio* analogica Ecclesie constituitur: non jam alterum alterius *typum* seu imaginem agnoscere licet, præsentem nota manifestæ dis-

B 2

simili-

(k) Cap. II. §. 2. 3.

similitudinis. Denique ad vim ejusdem hujus argumenti augendam faciet comparasse stylum Scripturæ S. cum data interpretatione allegorica. Docti Viri dicunt Luctam Jacobi contra Angelum figurasse Luctam Ecclesiæ contra Deum, eo, quo exposui, modo. At vehementer dubitem, num unquam, ubi piorum *Lucta* refertur, & memoratur sapissime) pars eorum adversa Deus statuatur ex more loquendi Spiritus S. Equidem adversus *impios*, *faciem suam ponit Deus; hostibus suis se reddit hostem*, studia fovet contraria in eorum perniciem: sed *pios*, *fideles*, quamvis castigatos, benigne fovet, & contra vim defendit. verum longe alium, & diversissimum Antagonistam Ecclesiæ faciunt Scriptores S.: *πάλην*, *luctam* nobis esse, ajunt, *adversus carnem, sanguinem, spirituales nequitias in aere.* (l) *ἀνταγωνίζομεθα* *adversus peccatum*; & quæ hujus generis plura sunt: (m) sed eam metaphoricam locutionem, qua etiam *pis* contra Deum luctari dicuntur, non inveni, sedulo licet investigatam, in omni Scr. S.

XIV. γ. Argumentum præbebit consideratio nominis *Israëlis* post optatum & felicem eventum pugnae, Jacobo ab ipso Deo impositi. Enimvero is tam grandis & sublimis titulus est, ut Jacobus eum *respectu sui*
usur-

(l) Eph. VI. 12.

(m) Hebr. XII. 4.

usurpare non potuerit sine absurditate maxima, quomodocunque demum significatum nominis attenuare volueris. An enim qui gratia & virtute Divina se certamine expedit sine gravi noxa, iccirco ullo vero nomine *Victor Dei* appellabitur? aut adeone fictum & blandum faciemus Angelum Jehovah erga hominem; ut unice in gratiam Jacobi certamen veluti scenicum instituerit: ut ille sua ope adjutus, augustissimo titulo, sed revera tenuissimum tantum sensum habente, per omnes hominum ætates superbi-
ret? Videamus autem, num causa justior appareat hujus honoris, ubi Jacobum typum Ecclesie, patientia & precibus severitatem Divinam vincentis, faciunt laudati Interpretes. Non liquet. (a) Enim (ne jam memorem dilutam & in nihilum fere abeuntem maximi & augustissimi nominis expositionem) phrasi & stylo Spiritus S., cujus gravissima ratio est habenda, non pii, seu Ecclesia, dicuntur unquam *vincere*, vel *fortiter se contra Deum gerere*, Contra vero *viximus*, *vincimus*, *Malum* (n), *Satanam* (o), *Mundum* (p), *Mortem* (q), *Infernum* (r); ea dictio est Scripturæ: altera explicatio de vi-

B 3 Historia

(n) Rom. XII. 21.

(o) 1. Joh. II. 13, 14.

(p) 1. Joh. V. 4. 5.

(q) Rom. VIII. 37.

(r) 1. Corint. XV. 54, 55.

Etoria aliqua *Dei* recedit ab usu loquendi
 Auctorum fidei nostræ. Imo (b) non satis
 bene etiam convenit rei veritati; si accurate,
 & non exiliter loqui velimus: nam expugnare
 Justitiam Divinam non hominum est pie precantium,
 non universæ Ecclesiæ opus; sed solius Mediatoris
 nostri, Domini Jesu Christi preces medium sunt,
 ad quod beneficia a Deo O. M. acquirimus: sed
 incassum forent; nisi merita Mediatoris nostri
 jam ante Justitiæ Divinæ dedissent satis. Sed
 (c) si hæc sit ratio nomenclationis hujus;
 quod Jacobus sustinens personam Ecclesiæ
 supplice prece flexisset Deum Immortalem,
 & placatum effecisset: cur ei hoc nomen
 private datum est? utique pietatem, bonarum-
 que precum donum par habuere majores
 ejus: quin sic omnes veri fideles æquo,
 quo Jacobus, jure *Fortes Dei Antagonistæ* au-
 dirent. At nonne manifeste liquet, hoc
 nomen peculiare Jacobo fuisse; idque eum
 gessisse adeo propter rationem sibi non cum
 credentibus in universum communem, sed
 privam, & singularem? quatenus nimirum
 ipse retulit Personam, de qua id vere & ci-
 tra absurditatem prædicaretur; quod Deum
 Immortalem, *κατά τι, vicisset.*

XV. ε. Si Sacras paginas evolvamus; de-
 prehendemus Illustrem aliquam & singula-
 rem Personam eodem nomine *κατ' ἕξοχὴν* in-
 signiri, quo hic ornatus est Jacobus: Mes-
 sianam

siam nimirum, qui & ipse *Israël* vocatur *Jes.*
 XLIX. 3. quod indubitatum argumentum est:
 non cunctæ Ecclesiæ respectu, sed in *exitu*
 ad certam & definitam illam Personam, no-
 men hoc veluti anticipasse Jacobum. Ve-
 rum hanc rationem infra pro sententia mea
 adstruenda explicabo; cæteræque, quas eo
 adducam, numerum & pondus addent iis,
 quibus hæctenus inconvenientiam receptæ
 interpretationis ostendi.

XVI. Ultimo citatum argumentum satis
 declarat, quæ ego conceperim hac de re sen-
 tentiam: eamque adeo, cum eo jam ventum
 sit, dico breviter. Certamen hoc, ut certum
 fecimus, mysticum esse, & sublimis sensus,
 existimo: quo, anxius Jacobus, & Ecclesia,
 ad confirmationem fidei & spei suæ edocta
 est summi momenti Dogma: & quidem ex-
 plicare directe hoc factum censeo primam
 Promissionem *Gen. III. 15.* ubi prædicitur
 Bellum aliquod spirituale in eum Deo ge-
 rendum inter Satanam & suos; & inter Se-
 men Mulieris *Evæ*: in quo ferale vulnus ac-
 ciperet Satanus, levioꝛe tamen plaga impressa
 Semini Mulieris. Innuo illustre illud & Di-
 vinum vere certamen; quod Christus Domi-
 nus tanquam Caput & Princeps Electorum
 ultimo vitæ tempore, & potissimum pen-
 dens in cruce, sustinuit; non duntaxat con-
 tra potestatem infernalem, verum maxime
 contra Deum Patrem; quando luctatus est

cum sanctitate & iustitia Divina, tulitque in hora illa tenebrarum pondus Divinæ iræ, quæ in ipso vindicabat peccata electorum humani generis; in quo prælio vicit Divinis viribus sanctitatem Divinam: at eo tamen eventu, ut inferiore natura ceciderit. Ad hunc illustrissimum eventum refero factum hoc Luctæ Jacobi: hanc potissimam, & veram demum rationem instituti ab Angelo certaminis esse censeo. Lineæ comparationis hæ sunt: *Angelus Jehova* sustinuit personam Divinitatis, læsæ peccatis mortalium. *Jacobus*, Christum Dominum retulit, qua hominem, passione sua iram Divinam placaturum: *Virtus Divina*, qua perduravit vim *Angeli* Jacobus, præsentissimum auxilium Divinæ Naturæ, unitæ cum humana Christi natura significavit; quæ humanæ Domini naturæ vires, virtutisque patientiæ pondus & meritum apposuit. *Fortitudo Jacobi*, heroicam virtutem Divini nostri Imperatoris dicit, qui invictis viribus Præstantissimæ Naturæ iram Divinam fregit, locumque tuitus est. *Luxa Jacobi coxendix* vulnus indicat, quod Dominus noster accepit in humana natura, quæ non penitus & in perpetuum destructa est; sed in breve tempus dissoluta: qua ratione demum triumphum egit plenissimum. Hujus sublimis doctrinæ defiguratio, ista occasione Jacobo oblata, eum simul bono animo esse jubebat: interebat enim, non mirum
 id

id accidere debere Jacobo, quod ea animi cura adiret Cananæam, tantoque discrimine pugna: non enim ipsum Mesiam cœlos occupaturum, nisi gravibus exantlatis laboribus, &c. Ad rem propositam quæso ne quicquam præjudicati afferas Lector, nec attentionem neges mihi præstare parato ea, quæ prudens rerum pensitator requirit: quorum *primum* est, ut id quod posui, demonstrem, eximamque, si qui sint, scrupulos. *Alterum*; ut clara collatione rei hujus gestæ, & significati, sententiam illuminem.



CAP. IV.

Proposita Interpretatio mystica vindicatur, & ex S. S. clariore luce perfunditur.

Quod rejectis aliis opinionibus hanc conceperim Sententiam; hæc me moverunt: *a.* Celebratum est illustri promissione Dei Gen. III. 15. certamen quoddam Divinum, cujus auctor foret ipse Deus, qui adversas partes, Semen mulieris, & serpentis committeret: quæ inimicitia in decretorium prælium erumperet. Quæ prædictio, nullo jam nostrum dubitante, certamen Christi in cruce cum Diabolo, sanctitatem Dei urgente, & armis veluti Divinis

Præliante, non tam prædicit, quam narrat. Cum vero heic mirum etiam, mysticum, & Divinum quoddam certamen memoretur, quod procul omni dubio aliud quoddam figurat & prænotat; quid dubitare queamus id eo referre, quo retrahitur ab illustri loco in hoc ipso libro, similem scenam aperiente? quo referri dignum, & operæ pretium est; quoque commodissime potest; Redivivus Dominus exponebat Emmaüntem secum viam facientibus duobus viris, bonis, & in Dominum optime affectis, sed stupentibus miserum illius, ut videbatur, exitum, illis, inquam, *exposuit ex Mose, Prophetis & Hagiographis, debuisse ea pati Messiam, & sic demum introire in gloriam*; Luc. XXIV. 26, 27. & in eandem sententiam Petrus I. Ep. I. 11. Omnino verò edocta hæc erant à Mose, sed mystice, ænigmatische, ex eventu demum cognoscenda; unde multa hujus generis piorum etiam in Judæa gente attentionem fugerant: Sed nullus alius est in Mosis libris locus, nullus præsentis Dei numine positus casus, qui hæc duo simul, *passionem, & futuram inde Domini gloriam, introitum in cœlestem Cananæam, clarius delineat, exhibetque, quam hic ipse Jacobi: ut à rei eventu jam perspiciamus.*

II. β. Dominus noster Jesus Christus in Scriptis Prophetarum inter alia mystica nomina vocatur speciatim ISRAEL, quod nomen occasione hujus rei gestæ accepit Jacobus,

bus. Testimonium adest notabile *Jes. XLIX.*
3: 4. ubi in hunc modum loquens inducitur
 Messias: *Dixit mihi: (Deus Pater) Tu es Ser-*
vus meus; ISRAEL, in quo magnificabor. Sed
ajebam, ego frustra laboravi, vires meas incassum
Et in vanum adhibui: Profecto (tamen) jus me-
um est apud Jehovam, Et opera mea pretium apud
Deum meum. Vis argumenti ex hoc loco de-
 promendi diversa est, & maxima: (a) Certa,
 si ulla alia, hæc est typicæ interpretationis re-
 gula: nomina propria personarum, locorum,
 rerumve illustrium in V. T. translata ad perso-
 nas, vel loca, resve illustres sub O.E. N.: sive
 spirituales, sive cœlestes; demonstrare ana-
 logiam, convenientiam, & similitudinem
 inter illa duo. Res patet: quod *Cælam, Pa-*
radisus, & Cananea vocetur, docet hæc illius
 fuisse typos: quod *Roma antichristiana, Egy-*
ptus, Babel; Sodoma, mystice denominetur,
 arguit convenientiam esse & fuisse ex Divina
 voluntate inter actiones & fata urbium, & lo-
 corum horum. Ita *Messias, David, Salomo,*
Josua, Zerubbabel nominatus; innotescit per
 istas personas secundum certos respectus esse
 figuratas. Et quis ne, ab universis quod est
 admissum? At vero vocatur quoque Messias
Israël: ille itaque ipse Jacobus, hoc nomine
 peculiariter auctus, in eo typus fuit Messia.
 Fuit itaque analogia ex Divino consilio inter
 actiones & vitæ casus Jacobi, eosque Messia.
 Sed quæ, quæso, actio Jacobi memoratur, quis
 casus

casus in rebus gestis Jacobi memoriae proditus
 est, qui illustrior sit, quique similiorem con-
 venientiam habeat cum gesto omnium maxi-
 me notabili Messiae, sacra nimirum ejus pugna,
 quam haec ipsa Lucta Jacobi cum Angelo?
 (b) Deinde *Israël* quando vocatur, eo ipso no-
 mine figitur typica Jacobi ratio ad Mes-
 siam in hoc ipso casu Luctae ejus. Hujus enim pugnae
 occasione tulit id nomen Patriarcha, ejus id
 habuit memoriale, ad Luctam unice res-
 petum habet: Idem vero cum titulus tribuatur
 Messiae, manifesto indicio est, Jacobum id
 non sibi ex summa ratione habere nomen; sed
 alium esse, Mes-
 siam, vere sic dictum *Israëlem*,
Victorem Dei, cui de summa ratione id compe-
 tebat nomen propter eluctandam gravio-
 rem & difficiliorem luctam, & victoriam verioris
 nominis ab ultrice Dei Justitia reportandam.
 (c) At vero penitius attendens observet; co-
 haerentiam orationis Jes. manu nos veluti du-
 cere ad Luctam hanc Jacobaeam. Cum enim
 memorasset Messias, Patrem se magnifico
ISRAELIS nomine compellasse; subjungit
 querulus: (gravitatem passionum, Judaeo-
 rumque magnam partem pervicaciam signi-
 ficaturus) *Sed ego frustra laboravi, vires meas
 frustra & incassum adhibui* Viden, graves la-
 bores Messiae, consumptasque vires Ejus pertinere
 ad nomen *Israëlis*, adeoque eo contineri pas-
 siones Domini satisfactorias? Liquet, in ipso
 illo nomine respici hanc historiam Jacobi, qui
Israël

Israël dictus est, quod *laborasset* & *vires adhibuisset*? Ergo in hac re gesta Jacobi est delineatio certaminis Christi satisfactorii & triumphalis. Sensum verborum Messiae apud *Jesaiam* planissimum sic habebis, simulque copiosissimum & plenum, ex ea comparatione *spirituali* *Luctæ Jacobæ*, in qua probanda verborum.

III. *γ.* Ex hac hypothese unice ratio reddi potest impositi, sumptique a Jacobo augusti nominis *Israëlis*, quod humanam conditione majus est. Sed mos hic est *Scr. S.* illustria nomina indere, & illustres titulos de iis predicare personis, qui ipsis de tenui ratione competunt; sed plenum veritatis sensum in antitypo habent: id quod æquus nemo qui historiam nomenclationis *Noachi*, *Gen. V. 29.* *Josue*, *Num. XIII. 16.* releget, negaverit.

IV. *δ.* Ex hac mea hypothese sola exponi id posse contendo, quod certamine abstinenti Angelo, tanquam victo, legem imposuerit Patriarcha; non orans aut petens, sed suo jure postulans *benedictionem Divinam*: *Non dimittam Te*, ait Angelo, *nisi mihi benedixeris*. Eane decebat oratio hominem gratia Angelum viventem? Vel an hic affectus est piorum, seu Ecclesie, correctionem Dei *deprecantis*? Quamvis enim meritis suis jus nobis paraverit Salvator noster precibus accedendi ad Thronum gratiae: non preces tamen & supplicem animum abrogavit; neque eam vim licentiae nobis

nobis conciliavit, qua ad voces nostras Re-
 etor Universi fasces positurus sit, Non hæc
 est ergo vox ejulantis precantisve, seu Jacobi,
 seu Ecclesiæ; sed refert magnificam oratio-
 nem Ejus, qui sacro certamine cum Justitia
 Dei, vindicante peccata mortalium, perfun-
 ctus, invictusque, *benedictionem* Divinam
 suâ virtute sibi partam, ex pacto debitam,
 ânimo confidenti posceret; Ejus; ajo, cui
 ipse Deus victoriam gratularetur, præmium-
 que virtutis ultro offerret; dicens ei: **לשׂוּ**,
POSTULA a me, *Et dabo tibi gentes heredita-*
tem tuam, Et fines terræ possessionem tuam. (1)

V. Etsi ita argumentorum abunde a me
 productum censeam; Interpretis tamen officio
 deessem; nisi commemorarem usum & vim
 singularem verbi **לשׂוּ** in hac historia: & ea
 animadversio *quinta* rationis loco erit. An-
 gelus colluctator Jacobi, virtutem ejus lauda-
 turus, utitur verbo **לשׂוּ**, *Sarah*; id inserit
 cognomini futuro Jacobi, quem **ישׂראל**, i. e.
Sore El vocat. Idem verbum hac in re servat
 fideliter Hoseas. (2) Adeo ut constet, ver-
 bum hoc pugnæ & fortitudinis Jacobææ pro-
 prium voluisse Spiritum S. At vero eo signi-
 ficatu non alibi reperias hoc vocabulum,
 Constat **לשׂוּ**, vel **לשׂוּ** notâre, *principem esse,*
principatum tenere, in exercitu, vel aliqua
 Gente: unde **לשׂוּ**, ut *Duces, Principes,*
 jun-

(1) Pl. II. 8.

(2) XII. 4.

junguntur aliquando מלכים, *Regibus*: ita
 אצבא-ו usitatum est de *Præfeto exercitus*,
Imperatore, (u) qui & simpliciter ו voca-
 tur, (x) Hac autem in re adhibetur verbum
 ad denotandam pugnae & virtutis Jacobææ na-
 turam: adeo ut ו heic sit, *pugnare tan-*
quam Princeps, fortis esse ut Dux exercitus.
 Quid rationis esse censes, quod tam singulari
 verbo, tantæque emphasios, heic uti ama-
 verint & ipse Angelus, & Scriptores S. ? erit-
 ne tantum translata locutio, quæ nil nisi vir-
 tutem heroicam Jacobi significabit? Ne crede
 equidem id unum eo intendi, & sensu phrasi-
 os excludendum esse id, quod dat verbum, a
 prudentissimo notionum pensatore, Divino
 Angelo, ex industria adhibitum. Nimirum
 docet vocabulum: Jacobum in hac pugna *Du-*
cem & Principem aliorum, (piorum puta) egis-
 se; pro quibus steterit, ac dimicaverit; eum-
 que ita strenuum Imperatorem se præstitisse.
 Id equidem de Jacobo ex vero non prædica-
 tur: nam non sub ipsius signis militat Eccle-
 sia: verum id rursus ex mea hypothese, & ex
 nulla alia exponi potest. Nimirum Impera-
 torem Ecclesiæ egit Jacobus *typice & represen-*
tative; quatenus Lucta ipsius figuravit Lu-
 ctam Mesfiæ, quam adiit, sustinuitque tan-
 quam Dux, Princeps, & Caput Seminis Mu-
 lieris, electorum omnium, pro quibus ipse
 solus

(u) Gen. XXI, 22. Jos. V, 14. Dan, VIII, 11.

(x) 1. Sam., XXII, 2.

solus strenuissimus propugnator certamine
defunctus est. Ille enim est שר צבא יהוה
PRINCEPS exercitus Dei: (γ) Ille est מִיכָאֵל
שרן, *Michael Princeps noster.* (z) הַשֵּׁר הַגָּדוֹל
*Princeps ille magnus, cuius est stare pro filius populi
Dei.* (a) Ipse δεξι, *Caput Corporis est, Eccle-
sia: (b) Qui vitam ponit pro ovibus suis. (c)*

VI. Has habe rationes, quæ mihi quidem
eam, quam strictim proposui, meditationem
super hoc certamine Jacobæo imperarunt:
æquo autem Lectori tales videbuntur, quæ
omnem suspensionem inconsiderantiæ juste a-
moliantur a sententia, quæ prorsus nova plu-
rimis videbitur. Et est ignotior, quamvis
non omni auctoritate destituta. Inquirenti
mihi ὁμοφνησίαν Doctorum Virorum oblatas
est Commentarius eruditissimus Cl. F. BUR-
MANNI, P. Viri doctrina Scripturaria In-
structissimi, quem adornavit in *Pentat.* Ubi
Vir Doctissimus communem sententiam tue-
tur quidem, & sapienter instruit: sed monet,
sensu secundario similem meditationem spiritu-
alem huic Luctæ insuper affigi posse; quam
paucis tum lineis proponit. Altior talis co-
gitatio cuidam ex Doctiss. Interpretibus Bibli-
orum nostrorum adhæsisse videtur, ut obser-
vavi ex *Indice Bibl. ad vocem Israel.* Sed qui
hanc

(γ) Joh. V. 14, 15.

(z) Dan. X. 21.

(a) Dan. XII. 1. Apoc. XII.

(b) Col. I. 18.

(c) Joh. X. 11.

hanc explicationem gravissimam; vel primariam habuerit; aut *secundariam* ratione adstruxerit; vel etiam datâ operâ ex Scripturis explicuerit; inveni neminem. Miror equidem: nam hanc occasionem faventissimam sublimi cuidam Dei revelationi faciendæ præsumere, & veluti præjudicare debebamus: quod unum adhuc facere non possum, quin pro mea sententia, omni ratione commendanda, adferam. Nimirum ubi observamus Deum signo quodam, vel monito confirmasse suos contra grave, ab hoste impendens, periculum; vel iis pollicitum esse præsidium suum: ibi defigendi sunt oculi, amœnissimum doctrinæ salutaris lumen recepturi. Eas occasiones commodissimas judicavit Deus O. M. promissa sua de Salvatore generis humani explicandi. Illustre habes exemplum Jes. VII. 14. Cum enim Jesaias nomine Dei pios in Gente Judæa sub Achazi regno erigere vellet spe liberationis ex funestis consiliis, & vi Rezini, & Pekachi, non tantum certo addidit iis Divinum auxilium: sed & divinitus edendi *signi* optionem Achazo facit; eoque tergiversante, divinum promissum sancit doctrina de IMMANUELE nascituro ex Virgine, eo sensu: quod tam certo eriperentur manibus Syriæ & Israël Regibus Judæi, quam quondam Messias ex Virgine suscitandus *perfectus suorum Salvator* foret. Vides consolationem duplicem, alteram alteri intextam;

& liberationem ab externo hoste fundatam super saluatione a Messia perficienda. Nimirum, *Deus promissis beneficiorum substernit fundamentum fidei & Ecclesie de Messia: neque unquam suis prestitit liberationem & salutem, nisi cum respectu ad hanc maximam salutem.* Sententia hæc gravis habenda est, concepta fere verbis Viri omnigenæ eruditionis, ac spiritualis sapientiæ laude in Ecclesiis Dei Celeberrimi, & PATRIS mihi, & COLLEGÆ Venerabilis, CAMPEGII VITRINGA, (d) En conspectum totius hujus mysterii cum prima, eaque facillima occasione.

VII. Ad latiore[m] hypothesios meæ explanationem me properantem moratur data fides de solvendis, si quæ forent, dubiis. Sed non diu me detinebit hæc occupatio: cum pro hominibus in Scripturis exercitatis, iisque perspicacibus ac iudicio valentibus, ea vix fingere queam: sed unum illud aliquando, quod mihi aliunde se obtulit, hoc est: Qui Angelus Jehovæ, quem Filium Dei esse constat, referre possit Deum Patrem vindicantem læsam Majestatem Divinam: cum ipse hic Filius Dei is sit, qui satisfaciendo Divinæ sanctitati eam reparavit? Ita Hypostasium S. S. Trinitatis personæ circa opus Saluationis Electorum inverti videntur: Statuo enim *Angetum Jehova Jacobum* oppugnantem, figurate *Deum Patrem, Christum hominem* affligentem, propter susce-
pta

(d) Observ. S. Lib. V. Cap. I.

pta mortalium pœnosa debita. Sed si qui
sint, quos etiam meditados hæc res impediat;
quæsitos illos velim; quid incommodum iis
videatur: an, quod Angelus Jehovæ, qui Fi-
lius Dei est, *duplicem sustinuerit personam*; Dei
Patris, & Sui ipsius, qua Filii Dei, redem-
ptionem promoventis per Divinam Naturam?
Sed sciant illi, Historiam S., omnesque accu-
ratos Interpretes hic non *duplicem* duntaxat,
sed & *contrariam* Angelo Jehovæ imponere
personam: qua de re supra egimus. (e) Sci-
licet & *Adversarium* & *Auxiliatorem* Jacobi egit
heic Deus: presso homini suffecit vires qui-
bus resisteret. Et ea res liquida est. Quid
porro? An *Filius Dei* nequit *sustinere Deum Pa-
trem*, eumque *representare* Vindicem peccato-
rum electi generis humani? Sed qua specie
rationis, vel quo auctore etiam levissimo, id
dici potest? *Primo* id iis commemorare velim:
Filius Dei, Christum Jesum ejusdem, uni-
cæ, & indivisæ *Naturæ Divinæ* consortem esse;
quæ victima piaculari *Humanae* Christi *naturæ*,
a *Filio Dei* oblata, placata est. Duplex itaque
illa Angeli Divini persona, & *Vindicis* pecca-
torum, & *Mediatoris* ac *Salvatoris*, non tan-
tum *adumbrationi typicæ* innititur; sed in se ve-
rissima est, & in natura rei fundata. *Secundo*:
Idne quisquam a ratione remotum Judicaverit,
Filius Dei *Patrem* suum referre & *representare*
in *rebus æconomica*? Sed quæ res aut persona

C 2

in

(e) Cap. II. 9. 15.

in rerum natura melius, facilius, convenientius? Nonne enim Angelus ille Jehovæ, Dei Filius, *Facies Dei* est, εἰκὼν, (f) καὶ εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ὡς ἰσάσιος ὁ Πατὴρ, (g) in cuius medio *Nomen Dei* fuit? (h) *Tertio*: Si Filium Dei qua *Angelum Jehovæ* rem gessisse dicas; (quod heic ita se habet) & neges interim, Ipsum in isto suo facto *Patris* personam sustinuisse; repugnantia statuis. Quid enim *Angelus* est, quam *Legatus*, qui Legantis faciem adfert, & personam gerit? vel qua alia de ratione Filius Dei sub OE. V. מַלְאָכִים vocatur; quam quod in nomine, jussu, & persona Jehovæ Patris OE. Veterem administraverit? *Quarto*: idne insolens & in Scr. S. ignotum dices; ut Filius Dei nomine *Patris Vindicem* egerit *lase Divina Majestatis*; quod alioquin munus æconomicum est Dei Patris? æque graviter sane impinges: non tantum enim *Angelus* hic *Jehovæ* vera iudicia exercuit in hostes Ecclesiæ; (i) sed & in ipsam Ecclesiam. (k) Et animadvertite quæso dictum id Dei memorabile Exod. XXIII. 21. ubi de eodem hoc Angelo, de quo Jesaias, (l) quod *salvasset Israëlitæ, amore & gratia sua eos liberasset, & portasset omnibus diebus,* di-

ver-

(f) Exod. XXXIII. 14. 2. Cor. IV. 4. Col. I. 15.

(g) Hebr. I. 3.

(h) Exod. XXIII. 21.

(i) Jos. V. 14. 15. 2. Reg. XIX. 35.

(k) 2. Sam. XXIV. 16.

(l) LXIII. 9.

versum plane in modum Deus: *Cavete vobis*; ait populo Israelis, *ab Eo, & dicto ejus estote audientes, neque exacerbate eum, quoniam transgressiones vestras non condonabit: QUIA NOMEN MEUM EST IN MEDIO EJUS.* Duplicem jam cerne Filii Dei personam: Salvavit ipse Abrahamidas; & rigidus idem fuit exactor pœnæ peccatorum ipsorum, *Quemadmodum heic qua Angelus Jehovæ justitiam Dei ultricem urfit, oppugnando Jacobum, pro Se, ut Filio Dei, Mediatore, egit, eundem adjuvando & defendendo.*

VIII. Cæteris sic jam defuncto restat ultima pars propositi agenda; ut ex *collatis utriusque lineamentis convenientiam demonstram inter figuram & figuratum, imaginem, & rei corpus: quæ invicem respondere, hætenus hoc Cap. disputavimus. Adverte itaque animum L. B. & judica.*

1. *Nocte ista, postquam obviam fieret Esava fratri Jacobus: metuens exploratum ejus in se odium & invidiam, secessit a domesticis anxius gravidusque curis, Deum supplex oraturus.*

Christus Dominus nocte illa, qua proderetur, & cum fratribus suis secundum carnem, (m) reprobis Esavitis, (n) perditissimis hominibus, malitia & invidia contra se flagrantibus, (o)

C 3

com-

(m) Rom. IX. 5.

(n) Rom. IX. 13.

(o) Matth. XXII. 18. XXVII. 18.

committendum se presentiscebatur, profunda tristitia & sollicitudine obrutus secessit (p) in Hortum Gethsemane, ibique etiam ab Apostolis, domesticis suis, se seduxit, ut vigilaret & oraret Deum Patrem. (q)

IX. 11. Id agenti Jacobo, nova, & gravioris conturbationis causa evenit: Ipsa enim illa Divina Persona, quae haecenus eum foverat affectu suo, cujusque sub tegmine tutus fuerat, pio Jacobo se dedit Adversarium, & Adortorem.

Salvator noster in hora illa tenebrarum, quae omnia ipsi vasta & terrificata videbantur, instantisque mortis imago jam major apparebat; Patrem suum, qui ipsum tenerissimo affectu semper complexus erat, non jam Consolatorem, sed severum, torvumque Adversarium expertus est: precanti non respondit Sanctus Israelis; (r) imploranti gratiam negavit, abscondit faciem a supplice: (s) imo vero conversus est ei in hostem: tulit terrores Jehovae, & ardentes iras caelestes; (t) jam caelestis Domini Pater ei observabatur immitis, rigidissime, & sine ullo respectu gratiae aut misericordiae exacturus debita, quae in se receperat Sponsor, (u) & severissime

(p) Matth. XXVI. 36. 37.

(q) Matt. XXVI. 39. 41.

(r) Ps. XXII. 3.

(s) Ps. LXXXVIII. 15.

(t) Ps. LXXXVIII. 16. 17.

(u) Ps. LXIX. 5. Jes. LIII. 4: 5. 7.

sime vindicaturus peccata generis humani, pro quibus ipse insons lucra receperat. (x)

X. III. *Divinus Angelus Jacobo vim intulit, eumque gravi & diuturna LUCTA exercuit.*

Ultimo tempore vitæ Domini Jesu Christi, Amatus ille Dei Servus multa & dira perpeffus est ab ipsius Patris Sui vindicta & sanctitate; ut qui Eum pressit pondere iræ suæ, humanam ejns naturam plagis verberavit ardentibus, ac lethaliter delassavit; ceu acri & valido Antagonista preffatus, raptatusque pugil languescit *exsuccus. (y)* Animam Domini incredibili tristitia perfudit, (z) *horrore ferali, desperationi proximo agitavit. (a)* Deus eum vexavit, plagis affecit: affixit: propter transgressiones nostras vulneravit, & comminuit. (b) *Anxii eum Pater, laborare fecit animam ejus: (c)* quæ graphica Spiritus S. dictio est, e re palæstricâ plerumque desumpta; qua per Jesaiam extremos Messiaë labores, a Jehova sustinendos, præcinit. Sic Salvator noster fuit in ARGONIA, LUCTA. (d) Omnes præterea illæ atrocissimæ injuriæ, ludibria, contumeliæ; flagra illa, spine, crux ea feralis, totum Domini Corpus

C 4

ex-

(x) Pf. XL. 7. 9. Jes. LIII. 4. 1. Petr. II. 24.

(y) Pf. XXII. 16.

(z) Pf. LXIX. 18. Matth. XXVI. 38.

(a) Pf. LXXXVIII. 16. 17.

(b) J. f. LIII. 4. 5. 7.

(c) Jes. LIII. 8. 11.

(d) Luc. XXII. 44.

excarnificantia instrumenta, veluti plagæ fuerunt, consilio & manu Patris ei admotæ. (e)

XI. IV. Periculi gravitate commotus & penitus consternatus Jacobus: ad preces & lacrymas se convertit; ac deprecatus est prementem se Divinum Angelum.

Dominus Jesus tempore tantæ acerbitätis cœpit λυπέσθαι, καὶ ἀδημονεῖν, ἐκθαμβεῖσθαι, trisari, angi, percelli, consternari. (f) Signa commotionis erant, sanguineus ille exhalatus sudor, suis ardens, & languor virium. Conversus itaque & ipse ad preces, ter fecesit, ter in os procubuit, & adoravit: ut calix illa, si fieri possit, a se transfret: (g) quod tamen fieri non posse, probe noverat; sed quo diritatem passionum & angores incredibiles significavit. Idem dicebat querela miserabilis, qua supplicavit Patri a cruce pendens: Deus mi, Deus mi, quare me destitisti? Id tempus fuit, quo Dominus preces & supplicationes, cum clamore valido & lacrymis obtulit Ei, qui se ex morte liberare poterat, & exaudire ex metu. (h)

XII. V. Neque sic tamen imbellis quiescit Jacobus, sed Luctatus est & ipse contra Deum; optimo, quo potuit, modo impressæ vi obnitens, vimque illatam propulsare allaborans.

Do-

(e) Act. II. 23. IV. 27. 28.

(f) Matth. XXVI. 37. 38. Marc. XIV. 33.

(g) Matth. XXVI.

(h) Hebr. V. 7.

Dominus noster Jesus gemens sub onere Divinae irae, renifus est fortiter, exhibuit se victimam piacularem sanctam ac intemeratam vindictam sumentis Deo de laesa Majestate peccatis mortalium, quorum subierat vicem: opposuit se flammanti Justitiae Patris pabulum & materiam bonam, ac durabilem, quae ignem Coelestis irae interciperet, involveretque. *Labo-
ravit Ipse, consumpsit vires, (i) susceptas infirmi-
tates nostras ac labores bajulavit. (k)*

XIII. VI. *At maximo intervallo impar succu-
bisset Patriarcha; ni vires ei subministrasset
Deus, contra quem pugnabat.*

Christus Dominus, sanctus quamvis Homo; tanto oneri ferendo minime comparatus fuisset; sed momento desperiisset, abiissetque in rem pessimam infirmior natura. Enimvero Divina ejus cum Humana arte conjuncta natura debilem ac inermem, sed Sanctum Hominem, accinxit; in arena lubrica titubantem fulsit; sustinuitque in molli veluti cano, certam stationem Athletae negante, *hesitan-
zem: (l) modo vero quasi aquarum diluvie se-
pultum, ac immensus caenosi luti gurgite haustum,
erexit, (m) & aequis ponderibus libravit. Ita
Spiritus ille Aeternus (n) obdurandi ac resistendi*

C 5

po-

(i) Jes. XLIX. 4. LIII. 11.

(k) Jes. LIII. 4. Joh. I. 29.

(l) Ps. LIX. 15.

(m) Ps. LIX. 3.

(n) Hebr. IX. 14.

potestatem fecit laboranti naturæ, & expositæ
victimæ pretium addidit tantum, quantum
potuit, maximum.

XIV. VII. *Neque tamen ita omni parte ille-
sum ab Angelo se custodire potuit Patriarcha;
quin luxato femine claudicaverit.*

Fortis ille Leo ex tribu Judæ certamen hoc
gravisimum obdurans, *vulnus accepit in im-
becilli natura; attritus ei est calcaneus; (o) com-
minutus est; (p) eradicatus, (q) passus est μέχρη
θανάτου, ad mortem; (r) atque ita ex compage
corporis, naturalis domicilii, exivit anima
ejus. Et fas erat: ut, qui peccatum expian-
dum receperat, animam quoque suam poneret
in victimam piacularem; (s) ferretque omnem
vim & pœnam peccati, quæ in morte comple-
mentum accipit.*

XV. VIII. *Attamen Divina virtute suffultus
Jacobus egregie se tuitus est: usque quo omni
ratione frustra tentato, victoriam eo nomine
generose concessit Angelus.*

Sed in morte Domini ΤΕΛΟΣ, (t) *Finis & con-
summatio fuit τῶν Παθημάτων ipsius: Immor-
tali enim armatus Natura fregit omnem im-
pe-*

(o) Gen. III. 15.

(p) Jes. LIII. 5.

(q) Dan. IX. 26.

(r) Phil. II. 5.

(s) Jes. LIII. 10.

(t) Joh. XIX. 30.

petum iræ Divinæ, vim cœlestem excepit immotus, pertulit, amovit: atque ita expugnata Gratia Divina in salutem electorum VICIT Leo, Radix Davidis. (u) Dimisit ergo oppugnatum Pater; & justus fuit, qui præstitam sibi satisfactionem agnovit, & victoriam Filio publice gratulatus est, resuscitato ipso ex mortuis. (x)

XVI. IX. Ex tanto discrimine liberatus Jacobus satis non habuit: salvum se evadere: sed ex periculo liberatus, animosior, negat S. Antagonistam abiturum, quin sibi benedixisset,

Christus Dominus omnibus muniis rite perfunctus, revocato Corpore, restitutâ in integrum Humanâ Naturâ, (& defluebant ei ultro vincula mortis, ablata causa, peccato) postulavit exacto, & voluntate Patris, ea Bona, quæ sibi in Consilio Pacis stipulatus erat, in opera pretium ac mercedem; (y) nimirum, Gentes hereditatem suam, & fines terræ possessionem. (z)

XVII. X. Lubens & paratus voto Patriarchæ annuit Angelus: Benedixit ei; atque in signum & tesseram liberalitatis ornavit eum magnifico NOMINE ISRAELIS.

Ad remunerandum recte facta & præstantia merita æque excelsus Deus, quam in jure suo per-

(u) Apoc. V. 5. III. 21.

(x) Rom. I. 4.

(y) Jes. XLIX. 4. Hebr. XII. 4.

(z) Ps. II. 8.

persequendo Gravis; concessit merenti Filio decus & Gloriam summam Mediatoris & SALVATORIS generis humani; quo titulo alius nullus est illustrior, aut augustior; nullus alius, qui ad Venerationem & Amorem mortales ducat & incitet fortius. *Coronavit ergo Eum Gloria & Honore; (a) posuit Filium, in DOMINUM & CHRISTUM; (b) Omnia subiecit pedibus Ejus: (c) Atque ita dedit Ei NOMEN, quod est supra omne Nomen; ut in Nomine Ejus flecteretur Omne genu eorum que in cælis, & in terra & sub terra sunt. (d)*

XVIII. XI. *Re adeo feliciter gesta, magnopere letatus discessit Jacobus.*

Tanti Nominis honos, tantæque Majeſtatis ſensus obliteravit Domino memoriam gravissimorum laborum: gaudio incredibili perfudit Victorem tam splendidum Dei Patris elogium. Et fieri aliter non poterat. Quippe propositi sibi gaudii respectu crucem perpessus erat, contempseratque contumeliam. (e) Qualem itaque lætitiâ Domino fuisse censebimus, cum redivivus animadverteret funes sibi cecidisse in locis amœnis, & Hereditatem pulchram sibi pararam esse a Deo suo? (f) Eamque adeo Gloriam
fine

(a) Hebr. II. 9.

(b) Act II. 36.

(c) I Cor. XV. 27.

(d) Phil. II. 9. 10.

(e) Hebr. XII. 2.

(f) Ps. XVI. 6.

sine mora capessivit: tibi subvectus in caelos collocatus ad dextram Patris, VICTOR occupavit Solium Paternum: (g) unde quondam etiam nos liberatos ab angore malæ conscientia, explicitos difficili lucta contra carnem, peccatum & malos homines, ac gratiâ suâ Victores, ornaturus est Veste triumphali, (h) dignitate Regali: ubi & nobis, qui vincimus, traditurus est calculum candidum, novo & incredibile Nomine signatum. (i)

A M E N,

(g) Apoc. III. 21.
(h) Apoc. II. 5.
(i) Apoc. II. 17.



II.

JOHANNIS D'OUTREINH,
DISSERTATIO
PHILOLOGICO THEOLOGICA
DE
VELANDO (a)
CAPITE MULIEBRI
PROPTER ANGELOS, (b)

Ad locum
I. COR. XI. 10.

AR-

(a) De significato Vocis ἐξουσία I. Cor. X. & XI. vide Obs. Halens. Tom. V. Obs. XI.
(b) Vide & Ant. Borremans. Dial. de Poëtis &c. p. 125. propter Angelos, i. e. ad exemplum Angelorum.

ARGUMENTUM.

Summa & analysis totius capituli §. 1. Scopus Apostoli. Nexus verborum §. 2. Ordo tractandorum §. 3. An γυνή etiam designet *Virgines*? Tertulliani de hac reserentia §. 4. 5. Tertulliani explicatio loci Gen. VI. 2. An ibi Filii Dei denotent *Angelos Desertores*? Apostolus per *mulierem* intelligit totum sexum foeminarum §. 6. Quid sit ἐξστιαὺν ἔχειν Ἰησοῦ τῆς κεφαλῆς. Notat velamentum capitis §. 7. Gothofredi sententia refutata a Doughtæo §. 8. Δὲ τὰς ἀγγελίας, an heic legendum Δὲ τὰς ἀνδρας, Refellitur hæc conjectura §. 9. Angeli an notent Ecclesiæ ministros? §. 10. sqq. Bezæ sententia §. 11. Ea examinatur §. 12. sqq. Locus Eccl. V. 5. expenditur §. 13. 14. Non hic intelligendi ministri §. 15. 16. Lightfooti sententia §. 17. Examinatur, & refellitur §. 18. Ut & Braunii §. 19. Viri cujusdam docti conjectura §. 20. Examinatur §. 21. שלוחי קדושי. Legati desponsationum, §. 17. sqq. Concluditur hic *angelos* intelligi proprie dictos. An vero *mali*: Nunquam hi absolute vocantur *angeli* §. 22. sqq. Locus 1. Cor. VI. 3. illustratur §. 23. & Rom. VIII. 38. §. 24. Quamobrem mulieres velari debeant *propter angelos*? §. 25. Ratio *prima*: Quia Angeli fuere testes creationis mulieris ex viro. Et subjectionis ejus sub viri potestatem §. 26. Id probatur uberius §. 27. Ratio *altera*: Quia Angeli præsentis interfunt cæteribus fidelium §. 28. Locus Eph. III. 10. illustratur §. 29. Angeli sunt condiscipuli fidelium, & testes eorum, quæ in ecclesia docentur §. 30. Id probatur ex Eph. III. 10. §. 31. Ex his argumentum formatur ad scopum Apostoli. Sæpius officium in sacris inculcatur argumento ab angelis ducto §. 52. Sententia nostra aliorum Virorum testimoniis corroboratur §. 33. Jacobi Fabri Stapulensis, hujus loci explicatio §. 34. Illa examinatur §. 35.

§. I.



Aperte hoc XI. ad duas Quæstiones respondet Apostolus, a Corinthiis sibi propositas, ad decentem in publicis cœtibus ordinem spectantes. Prima est de mulierum habitu in precibus & conventibus Sacris. *Comm. 16.* Altera, de *communione Eucharistiæ* in Agapis. *Comm. 17.* ad finem capitis.

Quod ad primum, Quæstio erat, an non oporteat mulieres in precibus fundendis, æque ac viros, in testimonium reverentiæ Deo debitæ, & in signum libertatis Christianæ, caput *aperire*? Quod Paulus negat, & e contrario mulieres, etiam cum orant, *velatas* esse debere contendit. Quod ut Corinthiis persuadeat

[I] Exordium sumit a monito quodam & qualicūque laude, dum hoc testimonium ipsis præbet, quod traditiones, ab se præscriptas, studiose retineant. *Comm. 1. 2. l. a.* Quod est equo currenti calcar addere; & prudenter eorum captare benevolentiam.

[II] Deinde argumentatur pro velamine mulieribus etiam in precibus publicis, retinendo argumento duplici:

[A] Primum desumitur à decencia & necessitate discrimen inter utrumque sexum retinendi; *Virorum* enim esse, ca-

caput & faciem ostentare denudatam & apertam in precibus; *Mulierum* autem, opertam & obvelatam, in signum suæ sub viros subjectionis five subordinationis. *vi. 3 - 12.* Hic videas Apostolum,

[N] Viris concedere caput *denudatum* propter eorum præ fœminis excellentiam *vi. 3. 4. l. a.*

[A] Fœminis autem denegare, propter earum sub viros *subjectionem. 5 - 10.*

[J] Rationem illam restringit, ne quis eam ad servilem subjectionem extendat. *11. 12. l. a.*

[B] Alterum argumentum desumitur à decencia & æquitate, five communi omnium iudicio, qua docemur *comam*, quæ velamenti quoque vicem præstat, mulierum decus esse. *13 - 15.*

[III] Concludit, abstinendum esse à vitilitationibus, neque nodum in scirpo esse querendum. *Comm. 16.*

§. 2. Primum argumentum supponit, *velamentum* capitis signum esse *subjectionis* sub alicujus *potestate*. Quod satis etiam naturale est. Quid enim magis conveniens est, quam ut *subiectio* sub alicujus *potestate* designetur per impositionem *velamenti*, quo quis quasi *obumbratur*, *obvelatur*, & *premitur*. Quoniam ergo mulier ex constitutione Divinâ, sub viri *potestate* & *imperio* est, hinc non tantum ipsi

coma data est pro velamento naturali; Verum etiam ab omni tempore, & apud omnes pene populos, moris fuit, ut mulieres *peplo* vel alio *velo* se obnubarent. Saltem cum id in usu fuerit apud *Judeos*, nec non apud *Græcos*, & etiamnum erat apud *Corinthios*, urget Apostolus, non oportere, ut mulieres Christianæ hoc Symbolum unquam deponant propter libertatem Christianam; quia ea Libertas ipsas non eximit potestati virorum, neque prohibet esse *ὑπάνδρος*; Quin e contrario ista subordinatio originem ducit ab ipsa creatione & primordiali ordinatione Dei ante lapsum.

Hoc autem ut validius urgeat Apostolus, etiam *Angelorum* injicit mentionem, quorum respectu vel reverentiâ, mulier velata esse debeat. *Διὰ τὸτο ἰφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἑπὶ τῆς κεφαλῆς, ὡς τὸς Ἀγγέλους.* Propter hoc debet mulier potestatem habere in capite propter Angelos.

§. 3. Ad cujus sententiæ pleniorē pertrahationem, in considerationem nostram venire debet I. Quænam intelligantur per nomen collectivum ἡ γυνὴ, an *Mulieres* solum *maritate*, an etiam *Virgines*? II. Quid sit *ἐξουσίαν ἔχειν ἑπὶ τῆς κεφαλῆς*. III. Præcipue autem nos exercebit ea quæstio: *Cur mulier debeat potestatem habere in capite ὡς τὸς Ἀγγέλους*. IV. Quam connexionem habeat ea ratio cum iis, quæ in præcedentibus dixerat, cum quibus hic versiculus jungitur per voculas *ὡς τὸτο*.

I. Fascicul.

D

§. 4.

§. 4. Subjectum Orationis Apostolicæ est
 ἡ γυνή, *Mulier*. Unde dubitatio suboriri pos-
 set, & olim suborta fuit, an solum de *maritatis*;
 an vero etiam de *Virginibus* intelligendum sit
 hoc præceptum? Tertullianus librum con-
 scripsit de *velandis Virginibus*, oppositum sui
 seculi moribus, „quum non modo (verba
 „sunt Jacobi Pamelii) nuptæ & virgines ho-
 „minum, seu seculares, quæ ad nuptias viro-
 „rum adspirant; Sed & virgines Dei, quæ
 „Christo nupserant, præsertim in Ecclesiis,
 „caput non velarent. Contra quam consue-
 „tudinem ipse probat, *Virgines velari oportere*,
 Cum autem præcipue urgeat Ecclesiarum,
 quas Apostoli condiderunt, consuetudinem;
 facile sensit, sibi opponi posse, Apostolum
 de *mulieribus*, id est, *nuptis*, loqui, non autem
 de *virginibus*. Sic enim exorditur Caput IV.
 „Quatenus autem de scripturis adversus veri-
 „tatem argumentari consuetudo est, statim
 „opponitur nobis: nullam mentionem *vir-*
 „*ginum* ab Apostolo factam, ubi de velamine
 „præfinit, sed tantum *mulieres* nominatas;
 „cum si voluisset & *virgines* tegi, de *virginibus*
 „quoque cum *mulieribus* nominatis pronunti-
 „asset. Quomodo illic ubi de nuptiis tractat
 „(nimirum Capite VII.) quid observandum sit
 „etiam de *Virginibus*, declarat. Itaque non
 „contineri eas lege velandi capitis, ut non no-
 „minatas in hac lege: Imo ex huc non velari,
 „quia non jubentur, quæ nec nominantur.

§. 5. Respondet ad hanc Objectionem Ter-
tullianus primo, retorquendo. „Sed & nos
„eandem, inquit, argumentationem retor-
„quemus. Qui enim sciebat alias *utriusque*
„generis facere mentionem, *Virginis dico, &*
„*mulieris*, id est *non-virginis*, ex causa distin-
„ctionis in his, in quibus non nominat *virgi-*
„*nem*, non faciens distinctionem ostendit
„conditionis communionem. Cæterum
„potuit hic quoque constituere diffe-
„rentiam inter *virginem & mulierem*, sicut alibi
„dicit: *Divisa est mulier & virgo*. Igitur quas
„non *divisit*, tacendo *inalteravit*. (c) Quæ
responsio eo credit; quod Spiritus Sanctus uno
nomine *mulieris*, etiam *virginem* intelligi vo-
luit, utpote, quod generale sit vocabulum uti
& *fæmina*. Capite porro V. probat, ad *sexum*
pertinere, non ad *gradum* sexus; idque ex Ge-
nesi I. 27. II. 22.; ubi Eva *mulier* cognomina-
tur adhuc *virgo*; post matrimonium autem
mulier EJUS. Gen. II. 24. 25. Et Capite VI.
ipsum Apostolum (d) Mariam *mulierem* vocare,
quæ tamen *virgo* fuit. Et Angelum Gabrielem
ad virginem missum, ipsam inter *mulieres* (e)
recensuisse. Cap. VII. comprobatur ipsas quoque
rationes virginib⁹ competere, per quas Aposto-

D 2

lus

(c) Id est, alteram alteri inclusit, & eodem vocabulo utramque significavit.

(d) Gal. IV. 4. *Factus ex muliere*.

(e) *Benedicta Tu inter mulieres*. Luc. I. 28.

lus docet *velari* *fœminam oportere.* „Convera-
 „tamus, inquit, ad ipsas jam rationes recen-
 „sendas, per quas Apostolus docet *velari* *fœ-*
 „*minam oportere*, an eadem etiam *virgini-*
 „*bus* competant: ut ex hoc quoque vocabuli
 „communio inter *virgines* & *non-virgines* con-
 „stet, dum *eadem* *velaminis* *causa* in *utraque* (f)
 „*parte* deprehenduntur. Si *caput* *mulieris* *vir-*
 „*est*, utique & *virginis*, de qua fit (forte legen-
 „dum sit) *mulier*, illa quæ nupsit. Nisi si *vir-*
 „*go* tertium genus est monstruosum aliquod
 „*sui* *capitis*. Si *mulieri* *turpe* est *radi* *sive* *ton-*
 „*deri*, utique & *virgini*. Proinde viderit se-
 „culum æmulum (g) Dei. Si ita *virgini* cæ-
 „sum *capillum* *decori* *mentitur*, quemadmo-
 „dum & *puero* *permissum*. Ergo cui æque
 „*non* *convenit* *radi* *sive* *tonderi*, æque *convenit*
 „*operiri*. Si *gloria* *viri* *est* *mulier*, quanto ma-
 „gis *virgo*, quæ & *gloria* *sibi* *est*? Si *mulier* *ex*
 „*viro* & *propter* *virum*, *costa* *illa* *Adæ* *virgo* *pri-*
 „*mum* *fuit*. Si MULIER *potestatem* *habere*
 „*super* *caput* *debet*, vel eo *justius* VIRGO,
 „*ad* *quam* *pertinet* *quod* *in* *causa* *est*. Si enim
 „*propter* *Angelos*, scilicet quos legimus a Deo &
 „*cœlo* *excidisse* *ob* *concupiscentiam* *fœmina-*
 „*rum*, quis præsumere potest tales *angelos* (h)
 „*maculatas* *jam* *corpore* & *humanæ* *libidinis*
 „*reliquias* *desiderasse*, ut *non* *ad* *virgines* *potiùs*
 ex.

(f) Tam *Virginis* quam *Mulieris*.

(g) Id est *Christianum* ut explicat *Pamelius* *vi*, *5* - *16*.

(h) Id est *fœminarum* *nuptarum*,

,,exarlerint! quarum flos etiam humanam
 ,,libidinem exuisset. Nam & Scriptura sic
 ,,suggerit, & factum est cum cepissent homines
 ,,plures fieri super terram, & FILIÆ natae sunt eis.
 ,,Constipati autem FILII DEI filias hominum,
 ,,quod pulcræ essent, acceperunt sibi uxores ex omni-
 ,,bus quas elegerunt. Hic enim nomē mulie-
 ,,rum Græcum uxores sapit, quia de nuptiis fer-
 ,,mo est. Cum ergo filias hominum dicit, ma-
 ,,nifeste virgines portendit, quæ adhuc apud
 ,,parentes deputarentur. Nam nuptæ marito-
 ,,rum nuncupantur: cum potuerit dixisse uxo-
 ,,res hominum æque, non adulteros nominans
 ,,angelos, sed maritos, dum innuptas sumunt fi-
 ,,lias hominum, quas natas supra dixit, sic quo-
 ,,que virgines significans. Supra natas, at hic
 ,,angelis nuptas, aliud eas nescio quam natas
 ,, (ergo adhuc virgines) & dehinc nuptas. De-
 ,,bet ergo adumbrari (i) facies tam periculosa,
 ,,quæ usque ad cælum scandala jaculata est, ut
 ,,cum Deo assistens, cui rea est angelorum ex-
 ,,terminatorum, cæteris quoque angelis eru-
 ,,bescat, & malam illam aliquando libertatem
 ,,capitis sui comprimat, jam nec hominum o-
 ,,culis offerendam. Sed & si contaminatas jam
 ,,fœminas angeli illi appetivissent, tanto magis
 ,,propter angelos VIRGINES velari debuissent,
 ,,quanto magis propter virgines angeli deli-
 ,,quisse potuissent.

§. 6. In toto hoc Tertulliani discursu duo
 nobis notanda veniunt I. Argumenta, qui-
 bus

D 3

(i) Id est obvelari, tegi,

bus probat sub nomine *mulieris* etiam *virgines* ab Apostolo comprehendi, quæ magnam partem fatis solida sunt ac stringentia. Confer id quod olim scripsi in Commentario vernaculo ad parabolam de *Filio prodigo* §. 353. nec non *Theodori Beza* in h. l. annotationem. II. Quod *Explicatio*, quam dat hujus nostri, quem sub manibus habemus, loci, falsâ nititur hypothesisi. Nimirum Gen. VI. 12. per *filios Dei*, qui duxerint *filias hominum*, intelligi *Angelos Desertares*, quorum primum flagitium fuerit prava illa virginum concupiscentia. Atque eo respicere Apostolum, cum *mulieres velatas* esse debere contendit, *propter Angelos*, id est, quia olim forma virginum *Angelis Desertoribus* illecebræ fuerit; & ne illi adhuc in ipsas inardescant; vel, ne ipsis Angelis bonis ipsa pulchritudo sit scandalo. Hujus paradoxo de Angelis Desertoribus, qui duxerint filias hominum, author primus non est Tertullianus, neque postremus. Ante eum enim idem sensisse videtur *Josephus*, quem libro *Ant. Jud.* l. C. IV, sic scribit: *Multos DEI ANGELOS, cum mulieribus congressos, progeniem procreasse insolentem & fiducia roboris omne jus & fas contemnentem; quorum facinora non sint absimilia his, quæ de Gigantibus Græci memorant, posteritati sunt tradita.* Hanc etiam opinionem secuti fuere *Justinus Martyr*, *Athenagoras*, *Clemens Alexandrinus*, & post *Tertullianum* *Lactantius*, *Cyprianus*, *Eusebius* & *Methodius*. Originem

er.

ign. istud de filiis (1)

erroris in eo ponit Pamelius, quod LXX. Interpretum Editio Græca vetus, quam illi secuti sunt, post Philonem legeret *οἱ ἄγγελοι τῷ θεῷ*, & Latina-Italica, vel S. S. Ambrosio & Procopio testibus, *Angeli Dei*, pro eo quod postea lectum invenitur, *οἱ υἱοὶ τῷ θεῷ*, & Latine *Filii Dei*. Verum pulchre eam sententiam refutat Chrysoctomus: *Hom. 21. in Genesin.*

„Afferunt, inquit, quod non de *hominibus* hoc dictum sit, sed de *Angelis*. Hos enim *filios Dei* appellavit. Primum ostendant, ubi *Angeli Filii Dei* appellati sint: Sed non poterunt usquam monstrare. *Homines* quidem *Filii Dei* dicti sunt, *Angeli* autem nunquam; (non cogitavit Chrysoctomus locum Jobi Cap. XXXVIII. 7. ubi *Angeli* appellantur *Filii Dei* & *Stella matutine*. Sed fateor tamen in narratione hac Historica Gen. VI. per *Filios Dei* non nisi *homines*, & quidem *Setbitas*, intelligi posse.) Cæterum pergit Chrysoctomus, „quid dicunt? Profecto *Angeli* quidem sunt, sed quia ad iniquum hoc opus descenderunt, dignitate suâ exciderunt. Iterum fabulosius aliud. Quid igitur? *Nunc exciderunt*, & hæc ruinæ eorum causa. Verum Scriptura nos aliter docet, quod antequam formaretur protoplastus, a sua dignitate exciderunt & Diabolus & qui cum eo majorem dignitatem ambiebant. Porro, quanta dementia est, dicere, *Angelos* dejectos, ut cum mulieribus rem habeant, & incorporea illa natura

copuletur corporibus? An non audis Dominum dicentem de *Angelorum* substantia: *In resurrectione neque matrimonium contrahunt neque elocantur, sed sunt sicut ANGELI Dei?* Neque enim possibile est, incorpoream naturam talem unquam concupiscentiam habere. &c. Alii inter Patres hujus etiam sententiæ absurditatem commonstrarunt. Inter quos *Ambrosius*, Lib. de Noë & Arca c. IV. *Augustinus*, Qu. 3. in *Genesin* & Lib. XV. de C. D. c. 15. *Epiphanius*, in *Epitome Divin. Dogmat.* Et *Procopius*, in *Commentario*. Qui omnes *Filios Dei* posteros Seth, utpote *Dei cultores*, interpretantur, sicuti etiam *Hieronimus*, Lib. de *Traditionibus Hebraeis in Genesin*. Quid, quod *Philastrus* *Libro de Hæresibus*, cap. 108. inter *hæreses* recenset eos qui asserunt *Angelos* miscuisse se cum *fœminis* ante diluvium, & inde natos esse gigantes. Quum itaque *Tertulliani* expositio in locum nostrum *Paulinum* tam absurdâ & falsâ nitatur hypothesi, facile liquet eam ab omnibus bonæ mentis hominibus explodi debere. Verum longius nos provexit *Tertulliani* oratio, quam nobis proposueramus. Nunc ergo regressum faciamus. Id tantum pro demonstrato habeatur, per **MULIEREM**, in loco nostro, *sexum femininum* intelligi, & sub eadem voce, tam *virgines*, quam *maritatas* comprehendi.

§. 7. De iis autem pronunciat *Apostolus*, quod debeant | ἐξασίαν ἔχειν Ἰπὶ τῆς κεφαλῆς. Quod

Quod quidem ita pervertunt, quasi dicat Apostolus, *Mulierem habere potestatem capitis sui.* Hoc enim solide refutat Photius Epist. 210. ad Eulampium Archiep. „Illud, inquit, ἐξουσίαν ἔχειν ἑπὶ τῆ κεφαλῆς, non, ut prima facie verba sonare videntur, ita in præsentia usurpat divinus Paulus: Cum audimus potestatem habere, ἐξουσίαν ἔχειν, forte dominationem & principatum quidam intelligent: At ille hic potestatem habere, ponit pro subdi & subjici potestati. Et porro: Cum principatus viri maxima gloria & apex sit mulier, debitor est ea facere, quæcunque virum ut principem, honorent: Faciet autem, habens potestatem ipsius supra caput, & declarans subjectionem, in eo quod proprium caput velet. Verum in antecedentibus modo supposuimus & alibi demonstratum dedimus, in loco Paulino per ἐξουσίαν ἑπὶ τῆ κεφαλῆς, non aliud intelligi, quam *Velamentum capitis muliebris*, Σύμβολον ὑποταγῆς γυναικὸς κατὰ ἐξουσίας τῆ ἀνδρὸς, uti loquitur Chrysostomus. Vide Comment. nostrum in Luc. XV. §. 335.

§. 8. Vir Doctissimus *Jacobus Gothofredus* loco ἐξουσίας legendum existimavit ἐξουσίας. Adversus quam emendationem insurrexit Cl. *Salmasius*, in tractatu de coma p. 694. & 695. Quod ansam dedit Gothofredo, integram scripto consignandi dissertationem de velandis mulieribus, deque exuvia capitis, Genevæ MDCLIV, impressam, quam nobis hic loci

compilare non vacat. Judicium Viri Doctissimi Johannis Doughteji si quis desiderat, „ἐξῆβλ-
 „av (inquit) hic ausi sunt substituere nonnul-
 „li, *operimentum* sive *velamen* denotante voca-
 „bulo. Ad quem etiam modum Marc. XI. 13.
 „ubi Christus infrugiferæ ficui male ominatur,
 „pro & non, subjiciunt & ubi, vel quando (con-
 „trario prorsus verborum significatu) & cum
 „venisset ad eam, nihil invenit nisi folia. & ἦν
 „erat enim tempus ficuum. Scite quidem in his
 „& similibus, sed quam recte viderint ipsi in-
 „terpolatores; Certe non est tutum ludere
 „cum apicibus sacræ paginæ aut in rebus reli-
 „gionis subtile nimis ingenium ostentare,
 „Dought. Anal. L. I. c. 15.

Ut ut sit, in eo saltem cum vulgata senten-
 tia Gothofredo convenit, quod per ἐξῆβλιν,
 (sive ut ille vult, ἐξῆβλιν) Ἰπὶ τῆ κεφαλῆς, capi-
 tis intelligat *Velamentum*.

§. 9. Verum enim vero præcipua difficul-
 tas in eo sita est, quod velamentale gestandum
 præcipiat mulieri, *propter Angelos*, Ἀλλὰ τῆς
 αἰγέλλας. Quæ ratio crucem valde difficilem
 interpretibus fixit.

Amicus quidam meus, Vir Doctus, in E-
 pistola sua nuper narrabat, se quendam habu-
 isse amicum, jam fati functum, qui novâ
 (ut ajebat) conjecturâ textum sacrum sollici-
 tare ausus fuerat: Nimirum, an non pro Ἀλλὰ
 τῆς αἰγέλλας, legendum foret Ἀλλὰ τῆς ἀνδρας?
 Quam tamen conjecturam non plane *novam*
 esse

esse deprehendi ex dissertatione quadam Josephi Halli, Episcopi Angli, in hunc locum, quæ in operibus ejus extat, Tom 2. p. 709. Ubi ait: „Quod ad scriptores novitios attinet, „qui verba sic legunt (*Ἄρα τῆς (k) ἀνδρας*) prop- „ter juvenes viros; fateor equidem sensum tunc „fore perspicuum: Si exemplaria in promptu „essent, ex quibus ita legendum esse consta- „ret. Quæ tamen mihi nunquam occurrisse, „ingenuè fateor.

Eundem in modum ad istam conjecturam meus rescripsit amicus, eam sibi non probari.

„I. Quia crisis hæc nimis audax & dura est, „præsertim quum nullum extet MS., in quo „vel vola vel vestigium extet istius lectionis.

„II. Quia in toto Paulino discursu de viro „& muliere semper in *singulari numero* sermo „fit, quemadmodum & in hoc ipso commate „ἡ γυνή. Adeoque si ulla hic obtineret muta- „tio, legendum potius foret, *Ἄρα τὸν ἀνδρα*; „quod multo adhuc minorem habet conveni- „entiam cum vocibus *Ἄρα τῆς ἀγγέλως*.

„III. Quod mulier ad prostituendam viri in „se potestatem & suam sub viro subjectionem, „velamen in capite gestare debeat, non tam „liquet ex integro contextu, requisitum fuisse, „sui, vel viri gratia, quam quidem propter ali-

(k) NB. In meo quidem exemplari legitur (*Ἄρα τῆς ἀγγέλως*) sed patet ex versione mox adjecta & ex contextu, legendum esse *ἀνδρας*, nimirum ut illi judicabant.

„os, inter quos conversatur, ut ita coram il-
 „lis isthoc habitu istam professionem subje-
 „onis suæ palam ederet: Non propter viros,
 „propter alios, quos Apostolus hic Angelorum
 „nomine designat. Quibus responsionibus
 nos calculum nostrum facile adjicimus. Ade-
 oque illibatus maneat sacer textus: *ἄγγελοι*
ἀγγέλων, propter Angelos.

S. 10. Sed quinam illi sunt, quos *Angelo-*
rum nomine hic designat Apostolus? Doctis-
 simus *Theodorus Beza*, in brevibus ad Novum
 Testamentum annotatiunculis, fateri non e-
 rubescit: *Quid hoc sit, nondum mihi liquet.* Ita
 saltem legitur in Exemplari, in forma octava,
 impresso A. 1565. apud *Henr. Stephanum*. Ve-
 rum id non reperitur in Eiusdem annotationi-
 bus in folio. Cantabr. 1642.

Hieronymus suo jam tempore duplicem su-
 per hæc verba allegavit interpretationem.
 Scribit enim: „Item hoc loco Angelos Ecclē-
 „siis præsidentes dicit, sicut & Malachias Pro-
 „pheta testatur Sacerdotem Angelum esse, di-
 „cens: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, &*
 „*legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini*
 „*exercituum est.* Sive vere propter honorem
 „Angelorum, qui Ecclesiæ assistere perhiben-
 tur. Priori loco Ambrosii sententiam recen-
 set, qui *Ecclesiæ Ministros* hoc loco *Angelos* ap-
 pellari putat: Deinde vulgarem, quæ per An-
 gelos *Spiritus* intelligit *incorporeos*. Verum
 quod ad primum respondet *Calvinus*, „neque
 sim.

simpliciter usquam, hoc est, absque adje-
 ctione, *Angelorum* nomine designantur verbi
 Divini Ministri, & sensus esset nimis coactus.
 Ego igitur in propria significatione accipio.

§. II. Doctissimus tamen Theodorus Be-
 za, quem modo dicentem audiebamus: sibi
 non liquere, quid hoc fiet, in Annotationibus
 majoribus, mordicus priorem tenet ac defen-
 dit sententiam. „*Propter Angelos, ἄγγελοι*
 „*αγγελος*, id est, *propter Prophetas*, in cœtu lo-
 quentes ut Dei *nuncios*. Redit enim ad pro-
 positæ quæstionis circumstantiam, quo ha-
 bitu mulieres oporteret in Ecclesiæ cœtu
 comparere: & cum argumentum sumfisset
 ab ipso muliebri sexu, cui locus est etiam ex-
 tra sacros conventus, corroborat istud argu-
 mentum, ac si diceret, mulieribus conve-
 nire, non tantum propter viros, ut capita in
 sacro cœtu operiant, sed multo magis pro-
 pter reverentiam, quæ Deo, per suos nunci-
 os & legatos loquenti, debetur. *Angelorum*
 autem nomen *Prophetantibus* (ut hic loquitur
 Paulus) id est verbi Dei Ministris passim tri-
 buitur, non tantum adjuncto *Domini* nomi-
 ne, ut Hag. I 13. Mal. II. 7. III. 1. Verum
 etiam *absolute*. Eccl. V. 5. לפני המלאך, *co-*
 ram *Angelo illo*. Ubi cum ה demonstrativo
 significatur *summus Sacerdos*, apud quem red-
 denda erat votorum ratio. Lev. XXVII. qui
 locus istum mire illustrat. Perperam enim
 omni.

„omnino de *Angelis* sive *bonis* sive *malis* illic a-
 „gunt interpretes ; ut & hoc in loco, meo
 „quidem iudicio. Sed & in Apocalypsi *Angeli*
 „dicuntur, qui Asiaticis Ecclesiis præerant.
 „Neque hic addi necesse fuit *Domini* vel *Ecclē-*
 „*sie* vocabulum, cum ex præcedentibus &
 „subsequentibus prorsus liqueat, de sacris cœ-
 „tibus hic agi. Utitur autem plurali numero,
 „quod in maxima donorum Dei abundantia,
 „non tantum apud Corinthios, ut apparet in
 „fra c. XIV. 39. Sed olim etiam in aliis Eccle-
 „siis non *unus* solus, sed *bini* & *terni* in cœtibus
 „sacris sermonem haberent. Quorsum por-
 „ro adhuc facit, quod Judæi Ministros quos-
 „dam Synagogæ soliti fuerint vocare שלוחי
 „הצבור *Angelos Ecclesie*, *Ministros congregationis*,
 „qui verbum Dei deponebant. Unde eadem
 „denominatio ad Ministros Ecclesiæ N. T.
 „translata sit. Uti videre est apud *Ligtfootum*
 „*Oper.* Tom. I. p. 477. Tom. II. p. 119. 279.

§. 12. Negari sane nequit, Clarissimum
 Scriptorem rationibus valde probabilibus
 hanc suam interpretationem firmare ac stabili-
 lire. Veruntamen plurimi; qui postea scrip-
 pserunt interpretes, nondum hisce argumen-
 tis acquiescunt. *Petrus* certe *Launæus* in hunc
 locum scribit: Le mot d'Ange est mis quelque
 fois pour signifier les Pasteurs de l'Eglise, com-
 me on peut voir en trois premiers chapitres de
 l'Apocalypse. Mais quand il est mis absolu-
 ment,

ment, ainfi qu'en ce lieu, il est tousjours pris pour signifier les *esprits celestes*, & en ce sens ce faut il prendre icy. Id est: „*Vox Angeli quibusdam in locis significat Ecclesie Pastores. Uti videre est in tribus prioribus Apocalypseos capitibus. Verum quando absolute ponitur, uti in hoc loco factum videmus, semper sumitur ad significandum Spiritus cœlestes. Et hoc sensu heic etiam intelligi debet.*

§. 13. Ad locum Eccl. V. 5. quod attinet, dignus sane est, qui obiter a nobis inspiciatur & illustretur. Ecclesiastes hic versatur circa vota Deo facta, quæ omnia solvenda esse monet: *Quum nuncupaveris vobum Deo, ne differtio persolvere illud. Nam non oblectatur stolidis: id quod voveris, persolve. Melius est ut non voveas, quam ut voveas & non persolvas. Ne permittio ori tuo ut peccato obstringat carnem tuam & ne dicito coram ANGELO, errorem istudesse. Fateor quidem plurimos interpretes per Angelum hunc intelligere Sacerdotem. Inter quos Gejerus nominat Lutherum, Lyranum, Pinedam, Dionysium, Drusium & Piscatorem. Polus etiam Calvinum, Pembellum aliosque. Cum quibus etiam facit, qui nuper linguâ vernaculâ luculentum in Ecclesiasten Salomonis commentarium edidit, D. Johannes Smith, Ecclesiastes Amstelodamensis.*

Verum I. ista interpretatio non est posita extra omnem dubitationis aleam. Polus enim præ-

præter eam adhuc quinque alias recenset. Adeoque ex hoc loco argumentum depromi non potest, quo probatur vocem *Angeli* absolute positam, *Ministrum* seu *Sacerdotem* Deo denotare. Possent enim quis excipere *coram Angelo* illic tantundem esse cum eo quod paulo ante dixerat, *coram Deo*. Non quod *Deum* vocet *Angelum*, vel *Angelum Deum*, sed quia, uti ait *Mercerus*, sic solet Scriptura passim, ubi *Dei* meminit, mox *Angeli* mentionem subicere, vel contra. Quod *Deus Angelorum* ministerio utatur in exequendis suis operibus. Unde hic Græci pro *coram Angelo*, dicunt, ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Et singulis nostrum Angelos suos custodes assignavit *Deus*, qui vident & spectant quicquid agimus: ut *Paulus* de mulieribus 1. Cor. XI. 10. inquit, ut velent caput propter *Angelos*. Et *Christus* Matth. XVIII. 10. de pueris inquit, quod *Angeli eorum vident faciem Patris*. Ne ergo *coram Deo* vel *Angelo*, quem ille tibi custodem assignavit, quique tibi adstat, dixeris, quod in errore voveris, ita votum tuum excusare volens, seu temeritatem vovendi. Sic fere etiam *Cl. Coccejus*: „Ne dicas *coram Angelo*, custode vitæ tuæ, Ministro castigationis Dei, & teste obsequii tui ac patientiæ in castigatione atque *Judicii Divini* (Confer 1. Cor. XI, 10.) Perratum est. Non quod singulos homines peculiarem habere *Angelum*, sibi adstantem, *Viri illi Docti* crediderint, sed quod nul-

nullum tempus fit, quin aliquem Angelum
 quisque homo, fidelis præsertim, se obser-
 vantem habeat; Vel quod nomen *Angeli* col-
 lective sumatur pro pluribus, uti est Matth.
 XVIII. 10. vel pro quovis Angelo. Si vero
 hæc non arridet expositio, audi *Thomam Carth-*
wrightum; qui per *Angelum* hunc, „articulo de-
 „monstrativo insignitum, non *quemvis* bea-
 „tum *Angelum*, sed *Angelum* intelligit *Increa-*
 „tum, & *Angelum fæderis*, Christum, verum
 „& æternum *Jehovam*, cordis scrutatorem,
 „qui vanas & futes excusationes pervidet &
 „probe ulciscitur. Is erat, qui *Saræ*, præ me-
 „tu risum neganti, respondit, illam risisse,
 „Gen. XVIII. Et si quis quærat cur *hunc* An-
 „gelum potius ad cautionem & terrorem pro-
 „posuit, qui, quod *Mediator* sit *Dei* & *homi-*
 „num, inter omnes *Angelos* humano generi
 „maxime propitius, & benignus est? Respon-
 „debit *Carthwrightus*; „Quia ut sanctitate ali-
 „os *Angelos* infinite excellit, sic omnium mi-
 „nime populi sui scelera ferre potest. Quâ de
 „re egregium exemplum nobis proponitur a-
 „pud *Mosem*. Nam cum *Populus* *Israëlis* in se-
 „Deum ad internecionem irritasset erecto vi-
 „tulinio *Idolo*, atque *Mosis* interventu & inter-
 „pellatione illis vita indulta fuisset, *Christus*
 „tamen, qui cum illis iter ex *Ægypto* in de-
 „sertum fecisset profiteretur se velle *Angelum*
 „creatum mittere, qui illos in terram *Canaan*
 „deduceret: Se vero ne cum illis eat, impediri,
 I. Fascicul. E quia

quia præsens illos refractarios consumeret.
 „Vide Exod. XXXIII. 1. 3. 12. 15. 16. & Cap.
 XXIII. 20. 21.

Ut ut sit, quoniam hoc in loco per מַלְאָכִים
 vel *Angeli* plures, vel *quidam Angelus*, vel *Angelus*
Fœderis intelligi potest, facile liquet ex hoc
 loco non posse Argumentum desumi, quo in-
 victe probatur, hominem Sacerdotem *absol-*
ute & sine ulla adjectione, *Angelum* appel-
 lari.

S. 14. Quamquam II. Si omnino verum
 foret, *Angeli* nomine hic *Sacerdotem* inditari,
 parum hoc faceret ad rem præsentem, A.
 Quia hic locus ex Veteri Testamento est de-
 promptus; jure autem quis exigat exemplum
 ex Instrumento *Novo*, in quo *Angelorum* nomine,
 absolute posito designentur Ecclesiæ Ministri.
 B. Quia hujus loci exemplum per omnia non
 est simile: Etenim hic vox מַלְאָכִים occurrit
 in singulari numero; Sed tale requiritur
 exemplum, ubi *Angelorum* nomine in *plurali*
 numero, absolute posito, Ministri Ecclesiæ
 significantur, & non Spiritus incorporei, qui
Angelorum nomine vulgo & ubique solent
 nuncupari.

S. 15. Quod vero ait Vir Venerandus, Mi-
 nistros in Apocalypsi *Angelorum Ecclesiæ* nomi-
 ne vocari; quodque hic loci (1. Cor. XI. 10.)
 necesse non esset addi vocabulum *Domini* vel
Ecclesiæ, cum ex præcedentibus & consequen-
 tibus prorsus liqueat de sacris cœtibus hic agi;

fateor equidem id ita se habere ; & satisfaceret hæc responsio, si indubitanter verum esset, Apostolum *Ministros Ecclesie* sub *Angelorum* nomine indigitare. Verum hoc est, quod controvertitur. Et abhorret plane a stylo Nostri Apostoli, ut Ecclesie *Præfectos Angelos* vocet. Nullum enim simile exemplum in omnibus *Epistolis Paulinis* reperitur. In *Apocalypsi* autem, qui liber *Propheticus & Emblematicus* est, alius obtinet scribendi stylus quam in *Epistolis Paulinis*.

Præterquam quod nullam ego convenientem & scopo Paulino congruam rationem videam, cur mulieres in cœtibus publicis velari debeant *propter Ministros Ecclesie*. Anne ideo id fieri deberet, ne *Ministri pulchritudine earum capiantur* ? Atqui hoc plane abhorret a *ratiocinio Paulino* ; Qui argumentatur ex *naturali subordinatione mulieris sub viro* ;
 1. Quia *vir non est ex muliere, sed mulier ex viro.* vs. 8. 2. Quia *vir non est conditus propter mulierem, sed mulier propter virum.* vs. 9. Unde in commate nostro concludit ΔΙΑ ΤΟΤΤΟ, ΠΡΟΠΤΕΡ ΗΟC, *debet mulier potestatem habere in capite propter Angelos.* Si dixisset *præterea mulier debet potestatem habere in capite propter Angelos,* facilius concederem id intelligi de *Ministris,* ne forma earum iis esset *offendiculo in cœtibus publicis,* ubi sancta sancte tractanda sunt.

§. 16. Verum, dicet aliquis, non eum in finem Apostolum præcipere ut velatæ sint mulieres propter Ecclesiæ Ministros, ne isti formæ earum aliquatenus capiantur; Sed, quia Ministri sunt *Præfecti Ecclesiæ*, quorum erat animadvertere in mores eorum, qui publicis cœtibus intererant, & observare, an mulieres ibidem se ita gererent uti id flagitabant modestæ leges; Et subordinatio illa, quæ in matrimonii institutione jam olim sancita erat. Fateor quidem id majori cum probabilitate dici posse. Verum necdum video causam sufficientem, quare, post allegationem creationis mulieris *ex viro & propter virum*, unde collegerat eam debere esse viro subiectam, *Ministrorum Ecclesiæ* faceret mentionem, IDEO *mulier velamen habere debet in capite propter Ministros Ecclesiæ*. Et cur hoc in casu eos inusitato *Angelorum* nomine designaret, quod nusquam alibi in scriptis Paulinis reperitur.

§. 17. Si ergo per Angelos hoc in loco non licet intelligere *Ecclesiæ Ministros*, porro indagandum erit, an forte *alii quidam homines*, *ἄγγέλων* nomine, hic ab Apostolo designentur? *Johannes Ligefootus*, Vir rerum Judaicarum peritissimus, sibi in expositione hujus loci non constat. Alibi Tom. I. p. 779. enim observat *עֲזָרִיָּה* hic *velum* denotare, convenienter voci *זָוִיָּה*, quæ *potestatem simul & velamentum* significat apud *Judæos*. Verum in
Ho.

Horis Hebraicis ad 1. Cor. XI. 10. circa hanc rem fluctuat. „Quærendum enim est, inquit, „an *עֲשֵׂהְךָ עֵצֶב*, non proprie, imo semper de- „notet, potestatem PENES SE habere, non „supra se, ut Matth. VII. 29. Johan. XIX. 10. „1. Cor. VII. 37. IX. 4. & aliàs infinities.

„Cum ergo Paulus dicit *mulierem debere* „penes se habere potestatem capitis sui, putat Eum „non sensu suo hic loqui, sed aliquid inter Ju- „deos usitatum citare: non tam normam ali- „quam foemina Christianis dictare, quam „morem Judaicum, in confirmationem co- „rum, quæ immediate ante dixerat, proferre. „Dixerat foeminam esse *gloriam viri*, fuisse „ex viro & conditam fuisse propter virum &c. „Et hoc testari potest illud, quod apud Judæ- „os: *Mulier debet penes se habere potestatem capi-* „tis sui propter *Angelos*.

„Jam vero erant apud Judæos *שְׂרֵי לְוִי קְדוּשִׁים* „Angeli vel Nuncii desponsationum, qui ab hoc „aut illo deputati erant ad desponsandam de- „putandi uxorem. De quibus *Angeli* copiose „agitur a Magistris sparsimque, præsertim „vero in Tractatu Talmudico *קְדוּשִׁין*, cuius „caput 2. hoc habet initium: *אִישׁ מְקַדֵּשׁ בּוֹ* „*וּבְשֵׁרֵי לְוִי*, *Vir desponsat sibi uxorem vel per se vel* „per Angelum suum, aut deputatum.

„Jam vero, quamvis *velationem facierum* „muliebrium in plateis & requirerent cano- „nes Magistrorum & consuetudo gentis com- „probaret, permissum tamen est *terminis fa-*

„*facies nudare*, ornare, venustare in ordine ad
 „honestum matrimonium: quod & ratio ipsa
 „firmat & mos gentis, & docent Rabbini.

„Huc spectare videtur ratiocinatio Aposto-
 „li hoc in loco: *Creata est femina propter virum*,
 „*vl. 9.* Quod & ipsissimo vestro, ô Judæi,
 „astruitur consensu, cum decernitis, quod
 „mulier potestatem penes se habet & habere debet
 „super caput proprium propter Angelos desponsatio-
 „num. Nudet faciem, si velit, ut venusta
 „appareat; velet, si velit, ut modesta. Po-
 „testatem liberam penes se habet, ut despon-
 „sationem suam promoveat nuptiasque, ut ob
 „virum esset, cum propter virum fuerit cre-
 „ata.

„Videtur autem Apostolus de *Angelis* istis
 „mentionem facere potius quam de *viris*, eos
 „in rem istam deputantibus: idque ut rem,
 „quam agit, fortius roboret adstruatque. Qua-
 „si dicat: *femina non solum potestatem capitis*
 „sui habet, ut faciem suam denudet coram eo,
 „qui futurus est ejus *maritus*, sed & coram *illis*,
 „qui ab eo *missi & deputati* sunt ut eam despon-
 „sent. Ex hac ipsa re liquet, inquit, quod
 „ea, ut ob virum esset, potestatem habeat fa-
 „ciem detegendi coram *Angelis* illis, qui ad
 „eam desponsandam accedunt, cum aliter
 „pro more gentis non liceret. Haftenus
 Ligtfootus.

§. 18. In cuius discursu varia sunt, quibus
 ego album calculum adjicere nequeo.

I. Quod

I. Quod vocem ἐξουσίας hic sumit pro potestate proprie dicta; cum alibi ipsemet per velamentum interpretatus sit; & nos ita sumendum esse, supra demonstraverimus. 1. Quia convenit cum voce ἑξουσία, quæ velamen simul & potestatem designat. 2. Quia phrasis ἐξουσίαν ἔχειν ordinarie quidem designat potestatem PENES SE habere, verum res se aliter habet in hoc contextu, ubi dicitur ἐξουσίαν ἔχειν ὁ Πῦρ κεφαλῆς. 3. Præsertim quia non dicit *Mulier ἐξουσίαν ἔχει ἐπὶ τῆ κεφαλῆς*, sed ὀφείλει ἐξουσίαν ἔχειν. Quod plane geminum est cum eo quod dixerat comm. 4. *κατὰ κεφαλῆς ἔχειν, aliquid* (quod velamenti instar sit) *in capite habere*; & quod dicit commate 13. *Non esse decorum, fœminam ἀκατὰ κάλυτον non velatam, Deum orare.*

II. Quæ postrema observatio etiam refellit, quod porro dicit Ligtfootus; Apostolum non sensu suo hic loqui, sed aliquid inter Judæos usitatum citare; & non tam normam aliquam fœminis Christianis dictare, quam morem judaicum, in confirmationem eorum, quæ dixerat, proferre. Contrarium enim patet ex toto Apostoli discursu, & præsertim ex commate 13. *Apud vosmet ipsos judicate: num decorum sit, mulierem non velatam Deum orare?*

III. Probare non possum quod Ligtfootus e diametro contra scopum Apostoli phrasin potestatem habendi super caput, explicet de facultate, quam mulieres habeant facies suas denu-

dandi coram Legatis sponsi sui, sive Angelis, qui ad eam desponsandam accedunt.

IV. Et quod ad vocem *Angelos* attinet, nequaquam mihi fit probabile Apostolum ad tales *deputatos* allusisse. Tales enim *Legati* vel *nuntii* non nudo nomine *Angelorum* vocabantur, sed *Legati DESPONSATIONUM*, vel saltem *Legati illius*, qui eos mittebat. Quem admodum etiam Caput 2. Tractatus *Kiddushin* hunc in modum sumit exordium: *Vir desponsat sibi uxorem vel per se, vel per Angelum SUUM.* Quod enim dicit *Ligtfootus*, „Apostolum reticere vocem $\Delta\psi\tau\tau$ *desponsationum*, & dicere propter *Angelos* solum, non propter *Angelos desponsationum*; quia ex ipso scopo dissertationis suæ illud facile intelligetur, cum in verbis immediate antecedentibus dicit, *fœmina creata est propter virum*: id vero nauci est. Apostolus enim mentionem quidem fecerat primæ conjugii institutionis & creationis mulieris post virum, ex viro, & propter virum, unde concludit *fœminæ sub viro* subjectionem & *subordinationem*; nihil autem de *desponsationibus Judæorum*, nedum de *Legatis desponsationum*, dixerat.

V. Quibus omnibus accedit, quod *Ligtfootus* ita rem considerat, quasi ad *Judeos* solum scripsisset Apostolus; cum constet ipsum scripsisse ad *Corinthios*, id est, *Christianos*, tam ex *Gentibus* quam ex *Judæis*, in urbe *Corintho* habitantes.

§. 19. Has difficultates, quibus premitur
 sententia Ligtfootiana si vidisset Vir Cl.
 Johannes Braunius, nescio an eam pro sua ado-
 ptasset, uti facit in *selectis sacris*, non nominato
 tamen *Ligtfooto*. „Dubitari, inquit, non pu-
 „to, quin per *Angelos* intelligantur שלוחי
 „קדושים, *Angelos* (quod vitio Typothetæ po-
 „situm pro *Angeli*) *desponsationis*, uti loquun-
 „tur Talmudici, maxime in codice *Kidduschim*.
 „Sæpe enim virgines desponsari solebant per
 „ejusmodi שלוחים *Angelos* sive *Legatos*, De
 „quibus plura eodem codice Cap. 2. 3. Ha-
 „bebant autem potestatem mulieres, ut non
 „solum coram *Sponso*, sed etiam coram *Legatis*,
 „qui apud Judæos ἀγγελοι, שלוחים, id est,
 „*missi*, dicuntur, faciem detegerent, ut co-
 „rum (legendum *earum*) forma ac pulchritu-
 „do possit conspici, & ut de ea edoceret
 „sponsus, si eam forte non vidit, quod ali-
 „quando fiebat. Ad hunc ritum Judæorum
 „respicit Paulus, ut eos, qui jam ad Christum
 „erant conversi, efficacius convinceret, non
 „tecto, sed *aperto capite* Deum adorandum a
 „*viris*, *tecto* vero a *mulieribus*.

Verum ut ego id, quod res est, dicam: can-
 dide profiteor, me tam cæcum esse, ut per-
 videre nequaquam possim, quibus fidiculis
 hæc conclusio ex istis *premissis* extundi queat.
 Quale enim hoc argumentum aut qualis est
 consequentia? *Virgo potestatem* habet DENU-
 DANDI caput, coram LEGATIS Sponsi sui.

ERGO mulieres debent in sacris cœtibus VE-
LATO capite orare; Quis non videt potius
contrarium inde fore concludendum?

§. 20. Verum Amicus meus hâc for-
san difficultate animadversâ, quanquam in
summa rei cum Ligtfooto consentit, rem ta-
men paulo aliter concipit. Nimirum „moris
„erat apud Judæos, inquit, ut sponsi habe-
„rent suos שְׂלֵוֹת, ἀγγέλους, id est, Legatos,
„(quos nostrâ linguâ forsan Speelnoodz voca-
„remus) qui eorum nomine nonnunquam
„aliquid apud sponsam negotii curandum ha-
„bebant. Jam vero scribit Apostolus ad Ec-
„clesiam Corinthiacam, consistentem qui-
„dem ex aliquibus Gentilibus, verum maxime
„& proprie ex Judæis (uti ostendit Cl. Braunius
„in aliis etiam Ecclesiis, ad quas Apostoli scri-
„pserunt, obtinuisse.) Quoniam ergo Apo-
„stolus hic verba facit de subordinatione mu-
„lieris sub viro, & quod ea, in signum istius
„subordinationis, caput velatum habere de-
„bet, mihi fit vero simile, ipsum hoc dicere
„velle:

„Et quod hoc ita fieri debeat, o Corinthii, ni-
„mirum quod mulier debeat caput velatum habere,
„vel ex ipso more, apud vos usitato, liquet: quia
„mulier caput velare solet, quum Legati, a viro
„missi, ad ipsam accedunt. Cur enim id facit?
„Nisi ut in istis Legatis revereatur personam Ma-
„gistrati sui futuri. Quod si itaque mulier caput ob-

nubit, etiam cum tantum Legati Mariti sui eam
 conveniunt, eo ostendit suam sub viro subjectionem
 (per quod enim aliquid tale est, id ipsum magis tale
 est) & tanto magis se obligatam fatetur, ut coram
 ipso marito caput velatum habeat.

§. 21. Fateor equidem hanc opinionem
 se majori probabilitate præ Ligtfootiana com-
 mendare. Sunt tamen quædam quæ obstant
 quo minus ei calculum adjicere possim. Præ-
 terquam enim quod adversus eam etiam vale-
 at argumentum quartum & quintum, modo
 Ligtfooto oppositum; Porro contra hanc amici
 mei sententiam observari velim.

I. Quod illos שלוחי קדושי Legatos despon-
 sationum apud Judæos conferat cum Paranymp-
 his, Speelnooden, qui nonnunquam negotii
 aliquid, nomine sponsi, curandum habe-
 bant apud Virginem jam desponsatam; quum
 illi Legati desponsationum proprie erant homines
 quidam, à viro vel juvene absente deputati,
 ut virginem quandam in matrimonium expe-
 terent; & quos potius appellaremus, Make-
 laars van de trouwe, of van een Huwelyk, vel
 nomine magis odioso, Koppelaars. Nisi po-
 tius per שלוחי קדושי Legatos vel Deputatos in-
 telligamus, qui sponsum in contrahendo ma-
 trimonio, sive in ritu sponsaliorum, repræ-
 sentabant atque ejus vices implebant. Juxta
 vulgatissimum Judæorum effatum: שליח אדם,
 Legatus hominis reputatur pro ipso. Quod con-
 clu-

cludi posse videtur ex initio capituli secundi
 Tractatus *Kidduschin*, modo allegato. *Vir desponsat sibi uxorem vel per se vel per Angelum, sive Legatum suum.*

II. Requiro, ut ex ritibus Judaicis ostendatur, moris fuisse ut tales *Legati* plerumque a Sponso adhiberentur ad aliquid negotii curandum apud sponsam. Id enim non liquet ex iis, quae docet Ligtfootus ex Tractatu *Talmudico*, jam saepius laudato. Quamquam si omnino id probari posset ex *Talmude*, vel aliis *Judaeorum* scriptis, nondum inde concludi posset, jam tempore Apostoli id in usu vulgari fuisse, & quidem apud *Judaeos Corinthiacos*.

III. Et quomodo quis probatum dabit, sponsam coram illis *Legatis* caput velare consuevisse, quum Ligtfootus & *Braunius* asserant, ipsam caput coram illis solitam fuisse denudare, ut testes essent formae illius, atque de ea sponsum certiozem redderent.

IV. Praeterquam quod ex toto Apostoli discursu pateat, illum agere de eo quod fieri oportebat a mulieribus in genere, sive virginibus, sive maritatis, in sacris coetibus; non autem a sponsis sive jam desponsatis, in aedibus suis privatis.

§. 22. Atque ita constare arbitror nullos homines reperiri, qui per *Angelos* hosce intelligi queant. Quare nihil restat, quam ut per

Angelos, ordinariâ significatione, intelligamus
Spiritus incorporeas.

Verum quum Angeli sint vel *boni* vel *mali*,
ulterius inquirendum restat, quosnam indigi-
tet Apostolus.

Non defuisse ex veteribus, qui hic de *Ange-
lis malis*, sive *Dæmonibus* cogitent, in ante-
cedentibus vidimus; & refutavimus eorum
opinionem, qui putarunt Apostolum velle ut
mulieres velatæ appareant in sacris conventi-
bus, ne Angeli mali earum pulchritudine ca-
pianur & in eas exardescant, uti olim somni-
ant factum, quando *Filii Dei* visâ pulchritudi-
ne *Filiarum hominum* cum iisdem fuerint con-
gressi, & sic ab integritate sua exciderint.

Verum Ligtfootus, qui in hac re, ut dixi-
mus, sibi non constat, (*Oper. Tom. I. p. 779.*)
rem paulo aliter concipit. „Cautum vult,
„inquit, Apostolus, ut *fœminæ* velamenta
„induant in capita, dum adessent publicis
„precibus & cœtibus, & hoc *propter Angelos*:
„hoc est, si liceat mihi conjectari, *propter Dia-
„bolos* vel *Angelos malos*, ne scilicet retia & la-
„queos tentationum nectant oculis atque ani-
„mis virorum inter preces & sacra, ex ex-
„pansa pulchritudine & venustate facierum
„muliebrium.

Verum recte observavit *Josephus Hallus*, hanc
opinionem non valde absurdam fore, si ali-
cubi in tota Scriptura Sacra *Diaboli* absolute
vocarentur *Angeli*, sine ulla additione sive
circa

circumfcriptione. Verba Cameronis ipsa ad-
 dere non piget. „Quod nonnulli per Ange-
 „los, malos hic intelligant *Angelos*, id profe-
 „cto nulla subnixi ratione faciunt. Cum An-
 „geli mali id moliantur & studeant, ut Eccle-
 „siam in lupanar, si fieri posset, transforment.
 „Si hoc spectasset hoc loco Apostolus, omni-
 „no *Angelos malos* odioso nomine hic indi-
 „gitare debuisset, potius quam ista gloriosa
 „*Angelorum* appellatione, & *Diabolo* vocare,
 „non *Angelos*; ut Corinthiis muliebribus
 „horrorem incuteret & absterret a vestitu
 „parum verecundo; utpote quam occasio-
 „nem *Diaboli* a vide arrepturi essent, ad eas ad
 „scortationem propellendas. Quemadmo-
 dum semper odioso aliquo nomine appellari
 solent Angeli mali, vel princeps Angelorum
 malorum, quando monentur fideles adver-
 sus eorum seductiones & irritationes. Vide
 Eph. IV. 27. VI. 11. I. Tim. III. 6. 7. Jac. IV. 7.
 I. Pet. V. 8. praesertim etiam I. Cor. VII. 5. 2.
 Cor. II. 10.

§. 23. Veruntamen unicum proferunt lo-
 cum, in quo *Diaboli* vel *Dæmones* absolute
 vocentur *Angeli*; Nimirum I. Cor. VI. 3. 'Ουκ
 οἶδατε ὅτι ἀγγέλους κερῶμεν, μήτις ἐβιωτικοί, An
 ignoratis fore ut **ANGELOS** judicemus, nedum
 ut quæ ad hujus vite usum pertinent, non judice-
 mus?

Possem ad hunc locum respondere, adhuc
 sub

sub iudice litem esse, an isthic *Angeli mali* an *boni* intelliguntur. Polus certe *Menochio* & *Tirino* adscribit sententiam de *Angelis bonis*. Quod Christum fideles eos sint *judicaturi*, iudicio approbationis, laudis & glorificationis. Grotius autem de *utrisque* videtur accipere. „Nam & qui peccarunt Angeli, eo tempore „(sc. in iudicio extremo) sententiam accipi- „ent. *Judæ* vs. 6. Forte & *boni* Angeli majores honores accipient.

Verum concedamus potius, *1. Cor. VI. 3.* per *Angelos* hic *Diabolos* intelligi. Atqui tum respondemus:

I. Cum *Camerone*: „Nullius vero momenti est, quod ajunt, hujus *Epistolæ* cap. „*VI. 3.* *Diabolos Angelos* vocari ab *Apostolo*. „Nam *Paulus* eo loco vult *fidelium* dignitatem commendare: quod profecto non tam illustre fecisset, si malos *Spiritus Diabolos* vocasset, quod nomen est contemptus: At hic dispar omnino & contraria est ratio, uti ostendimus. Vult dicere, *Apostolum* *Capite VI. 3.* dignitatem *fidelium* exaggerare ex eo, quod ipsi, *homines* cum essent, iudicium aliquando exercituri essent in *Angelos*, id est *Spiritus* illos, qui principium suum non servaverunt. Hanc dignitatem ut tanto magis extolleret, potius *Angèlorum*, quam *Diabolorum* nomine ipsos vocat; quo etiam lectori suo in memoriam revocat pristinum eorum statum, in quo creati erant, sed ex quo,

quō, per rebellionem contra Deum excide-
rant.

II. Cui responsioni firmandæ accedit, quod
Apostolus Cap. VI. 3. non dicat τὰς Ἀγγέλους
cum articulo demonstrativo, uti nostro in
loco: Sed tantum Ἀγγέλους. Non DE En-
gelen, sed tantum Engelen. Recte enim scri-
bit *Camero* in 1. Cor. VI. „Cæterum Apосто-
„lus vs. 3. Diabolos *Angelos* simpliciter voca-
„vit prudentissime: Vult nempe ostendere
„summam fore excellentiam nostram, qui su-
„pra ipsos *Angelos* sumus aliquando evehendi.
„Diaboli enim utut pravi sint & desperati,
„sunt tamen *Angeli*. Ostendant ergo vel uni-
cum locum ex toto N. T., ubi *Diaboli* absolute
vocantur οἱ ἄγγελοι. Qui cum ostendi ne-
queat, concludimus, per τὰς Ἀγγέλους indigi-
tari *Angelos bonos*, τὰ λειτουργικὰ πνεύματα, εἰς
ἀρεσκονίαν ὑποσείδόμενοι Δεῖ τὰς μέθουτας κλη-
ρονομεῖν σωτηρίαν, Q. E. D.

§. 24. Ast unicus adhuc mihi locus inci-
dit, qui adversus hanc conclusionem produci
posse videatur. Nimirum Rom. VIII. 38, ubi
Apostolus dicit, *Persuasum mihi est, neque mor-
tem, neque vitam, neque ANGELOS, neque
Potestates --- nos separaturos a charitate Dei.*
Verum ex antedictis ad hunc etiam locum fa-
cilis est responsio. I. Per *Angelos* hic non in-
telligi solos *Diabolos*, sed omnes in genere An-
gelos, etiam bonis non exclusis, si id in ipsos

cadere posset, ut conarentur fideles separare a
 charitate Dei. Quemadmodum Galatis scri-
 bit Apostolus: Cap. I. 8. *Etiamsi vel Angelus*
e celo evangelizet vobis præter id, quod vobis ev-
angelizavimus, anathema esto. Vide sis Au-
 thores apud Polum, qui de bonis Angelis in
 specie intelligunt. Verum II. dato, non
 concessio, per *Angelos* hoc loco solos malos
Spiritus esse intelligendos; non ibi vocantur
 ei "Αγγελοι, cum articulo, sed nude "Αγγελοι,
 quod nonnunquam in genere sumitur pro
Spiritibus, corporibus non alligatis. Quare
 inconcussa manet nostra conclusio, non mi-
 nus,

Quam si dura filex, aut stet Marpesia
 cautes.

§. 25. Verum enim vero jam maxima ad-
 huc superest difficultas, quæ tantum senten-
 tiarum divortium inter Doctissimos peperit
 Interpretes: Cur nimirum mulieres, in sacris
 coetibus præcipue, *velata* esse debeant *propter*
Angelos; & quidem IDEO; quia (uti vi. 8. 9.
 dictum erat) mulier creata est EX viro &
 PROPTER virum.

Ad quam difficultatem solvendam, *Primo*
 observari volumus: Ita nos versari debere in
 explanatione Oraculorum Divinorum, ut
 tantum expendamus, quid *voces & phrases*,
 secundum stylum S. Scripturæ, *significant*.
 Quod si nobis constiterit (quemadmodum

heic luce meridianâ clarius potest) per τὰς
 ἁγέλους *Angelos bonos* indigitari, propter ali-
 quas difficultates aut obscuritates non est
 negandus sensus verborum planus atque per-
 spicuus. Potius ignorantiam nostram con-
 fiteri debemus, quam explicationes adhibere
 improprias, coactas ac longe petitas.

II. Secundo, fatendum est, obscurum ad-
 modum nobis, in corpore versantibus, esse
 commercium, quod nobiscum habent An-
 geli, sive boni sive mali, eorumque opera-
 tiones in corpora & mentes humanas. Quae
 tamen neganda non esse, satis superque docent
 sacrarum literarum testimonia clara atque
 omni exceptione majora.

§. 26. III. Verum, Tertio, ut, quod res
 est, dicam, ob *duas* praecipue rationes puto
 Apostolum velamentum praecipere mulieri-
 bus in coetibus publicis *propter Angelos*. *Pri-*
ma est, quia ipsi Angeli testes & spectatores,
 ut sic loquar, fuerunt creationis universi
 atque adeo *hominum* etiam *primæ* vorum, id est,
viri ac mulieris, & per consequens etiam *sub-*
ordinationis mulieris sub viro. Ansam huic
 cogitationi dedit Photius, Patriarcha Con-
 stantinopolitanus, *Epist. CCX.* „Cum ergo,
 „inquit, principatus viri apex mulier sit, de-
 „bitrix est ea facere, quæcunque virum, ut
 „principem, honorent: Illud autem faciet,
 „habens potestatem ipsius super caput, & decla-
 „rans subjectionem, in eo, quod proprium

caput velet, illum autem reputet ejus caput
 & in eum omni modo tanquam caput, re-
 lationem habens. Impudens certe & in-
 gratum opus est, non agnoscere illum princi-
 pium & causam suæ existentia, & ut Prin-
 cipi honorem tribuere. Etenim si nihil ali-
 ud (quæ tamen multa sunt, quæ in hanc rem
 dici possent) recogiter; Si detractet viri in-
 se imperium, & suam subjectionem: (sic
 vertit Montacutius verba Photii, μηδὲ πινὰς
 ἀνθρώπων ἀιχμῶν το τῷ ἀρχῆν αὐτῶν, καὶ τὸ
 ὑποτεταχθῆναι ᾧ δαίτημένη. Ego vero potius
 sic verterem, neque homines quosdam reve-
 reatur, si viri imperium detractet, eique
 subjici nolit, ἀλλὰ τῆς γεν ἀγγέλους φησὶν, οἱ
 ἐπόπται καὶ μάρτυρες εἰσὶ ἐξ ἀνδρῶν γενέσεως αὐτῆς
 καὶ προόδε, δίκαια ἀν δυσωπειῶν καὶ ἀιχμῶ-
 νος, ὑποκειῶν τε ἀπὸ τῆτο τῷ ἀνδρὶ, καὶ τῷ
 ὑποταγῆς σύμβολα, τὸ ἐπὶ τῷ κεφαλῆς καλυμμα
 φέρειν. Id est: At vero ANGELOS quidem
 certe, (revereatur) inquit, INSPECTORES
 ET TESTES SUÆ A VIRO ORIGINIS
 & processus, æquum est, ut metuat & reverea-
 tur, & ideo viro subiecta sit, & ut subjectionis
 symbolum gerat, nimirum velamentum in capi-
 te. Nam hoc declarant illa: Quocirca mulier
 debet potestatem habere in capite PROPTER
 ANGELOS.

Supponit ergo Apostolus, juxta Photium,
 cujus sententiæ nos quoque accedimus, An-
 gelos præsentis adfuisse & spectatores atque

testes creationis mulieris *ex viro* & *propter virum*, & institutionis legum connubialium, juxta quas mulier viro subjecta est, & consequenter omni modo suam subordinati-
onem testari debet. Quod inter alia etiam fi-
eri oportebat, velamentum in capite ge-
stando.

§. 27. Sed dicet forsan aliquis: Unde hoc constat, quod Apostolum supponere ais, *testes* adfuisse *Angelos* creationi mulieris & in-
stitutioni matrimonii? Ast 1. Ego vicissim
quæro; unde Apostolo nota fuit Historia
Prophetiæ *Henochi*, & similia; quæ, neque in
V. T. neque in monumentis Judaicis reperi-
untur? 2. Unde didicit Stephanus Israëli-
tas legem accepisse *eis ἀγγέλων*, per
dispositionem vel *in dispositiones Angelorum*. Act.
VII. 53. & Paulus; *Legem ordinatam esse δι'
ἀγγέλων*, per *Angelos* & *traditam in manus
Internuntii*, id est, *Mosis*? Gal. III. 19. unde
& legem vocat τὸν δι' ἀγγέλων λαληθέντα λό-
γον. Heb. II. 2. Novi equidem *Mosen scri-
psisse in sermone valedictorio Deut. XXXIII. 2.
Jehova ex Sinai venit cum myriadibus sanctitatis*,
id est *Sanctorum Angelorum*, a *cujus dextra
ignis legis extitit*; Sed præterquam quod du-
bium sit, an isthic per *רבבות קדש*, *Myria-
des Angelorum* necessario intelligi debeant;
id saltem liquido constat, in textu Mosaico
non omnia ista dici, quæ de *Lege per Ange-*

los aut presentibus Angelis data, pronunciant Stephanus & Paulus. 3. Præterquam quod ex Jobi Capite XXXVIII. *comm.* 7. constet Filios Dei, id est, Angelos presentes adfuisse ut spectatores & testes foundationis terræ. Unde non inepta consequentia inferri potuit, præsertim ab homine *θεοπνεύστο*, eosdem Angelos testes etiam & inspectores fuisse creationis fœminæ ex viro & propter virum & institutionis matrimonii & legum connubialiū, adeoque subjectionis ejus sub viri potestatem.

Quemadmodum autem Apostolus Legis Mosaicæ authoritatem exaggerat ex eo, quod data sit *per Angelos*, vel *e medio Angelorum*, five *Angelis presentibus*; Sic etiam heic loci vult, ut mulieres *Angelorum* reverentiâ, qui testes adfuerint creationis Evæ ex Adamo, & Ejus sub viri potestatem subjectionis, eo adducantur, ut nunquam, nedum in sacris conventibus, ubi omnia decore debent esse composita, illud subjectionis suæ symbolum deponant, quod est velamen in capite.

§. 28. Altera ratio, cur velatas esse vult fœminas propter Angelos, priorem supponit; nimirum, quia Angeli, qui olim Spectatores & testes fuerunt subordinationis fœminæ sub viro, etiamnum nobis *presentes* adsunt, præsertim in sacris cœtibus, licet ab hominibus non conspiciantur; adeoque inspectores & testes sunt, quomodo sese gerant Christiani. Quod si An-

gelus Dei castra metatur circa singulos timentes ipsum; Pf. XXXIV. 8. nonne id multo magis cogitandum est de integris fidelium caetibus? Verum quid plura? Apostolus noster testatur Eph. III. 10. per Ecclesiam notam fieri imperiis ac potestatibus, quae in caelis sunt, multivariam Dei sapientiam. Unde ergo non immerito concluderem, Angelos in Ecclesia versari, praesertim in sacris conventibus, & illos etiam auditores, ut sic loquar, & testes esse eorum, quae ab Apostolis & ministris N. T. docebantur, spectantia multivariam illam Dei sapientiam, quae nunc per Evangelii praedicationem, tam Gentibus quam Judaeis, patefacta erat.

§. 29 Novi equidem diversas esse Virorum Doctorum in hunc locum interpretationes. Nicolaus enim Zegerus per ἀρχαις καὶ ἐξουσίαις, Principes & Magistratus terrenos intelligit, quorum celsitudinem indicaret Apostolus per additamentum illud ἐν τοῖς ἐπεγεγυῖσιν. Northonus Knatchbul trajectionem hic statuit, & voces ἐν τοῖς ἐπεγεγυῖσιν, conjungit cum τῆ ἐκκλησίας, in hunc modum: Ut nota nunc fiat principatibus ac potestatibus multiformis Dei sapientia per Ecclesiam in caelestibus. Alii conjungunt cum vocibus πολυποικιλῶ σοφίας τῆ Θεῶ. Ut nota nunc fiat principatibus & potestatibus per Ecclesiam multiformis Dei sapientia in supercaelestibus. Verum quis non videt, tra-

jecti-

jectionem illam esse admodum duram & co-
actam, & tantum ad subterfugiendam difficul-
tatem, quæ ex hoc loco nasci videbatur, qua-
sitam? Alii intelligunt *Præsides Ecclesiæ in re-
bus cælestibus*. Verum ostendant illi, ubinam
præsides Ecclesiæ N. T. principes ac potestates
appellentur. Præterquam quod non iis per
Ecclesiam, sed Ecclesiæ potius per ipsos inno-
scat Dei sapientia. Alii *Angelos*, tam bonos
quam malos; Nonnulli tantum malos intel-
ligi volunt. Verum nos cum plurimis, iis-
que Doctissimis Interpretibus tantum intel-
ligimus *Angelos bonos*; sive in genere, sive
illos in specie, qui inter Angelos præ cæteris
eminent gloriâ ac potestate. Conf. Eph. I. 21.
Et voces ἐν τοῖς ἐπαιθετοῖς, locum designare
cælestem, ubi Angeli suum habent ἰδίου δεικ-
τηρίου, liquidò patet ex collatione Capitis
I. 20. ubi Deus Christum collocasse dicitur,
ad dextram suam ἐν τοῖς ἐπαιθετοῖς. Nec non
Cap. II. 6. ubi dicit, fideles una excitatos,
unaque collocatos ἐν τοῖς ἐπαιθετοῖς ἐν χριστῷ
Ἰησοῦ, in cælis, in Christo Jesu. Adeoque hoc
dicit Apostolus: quod nunc per Ecclesiam
principatibus & potestatibus, id est *Angelis*,
in cælis ἰδίου δεικτηρίου habentibus, sed etiam
in terris & inter fideles versantibus, nota fiat
multivaria Dei sapientia per prædicationem
Evangelii, non Judæis tantum, verum etiam
nunc Gentibus factam.

§. 30. Verum dicet forsan aliquis, quid ergo hinc concludis? Anne Angelos etiam interfuisse concionibus Apostolorum & etiamnum Ministrorum Ecclesie, tanquam *con-discipulos* fidelium, & ex hominibus ea *discere*, quae ignota ipsis fuerant?

Respondeo I. Nullam forsan in eo absurditatem fore, si quis hoc affirmare auserit. Nam Angelos multa ignorare & indies quaedam *discere*, quae prius ipsos latuerant, satis liquidum est ex Petri effato 1. Pet. I. 12. ubi dicit: *Angelos desiderare & Ignoscere, introspicere, in mysteria religionis Christianae, quae nunc annunciata sunt vobis per eos, qui vobis praedicarunt Evangelium per emissum e caelo Spiritum Sanctum.*

II. Quod si tamen dicere nolimus, Angelos per Ecclesiam, aut per ea, quae docentur in Ecclesia, doctiores fieri, atque ita sacris coetibus adesse tanquam discipulos; saltem negare nemo potest, ipsos adesse tanquam *testes* eorum, quae per Evangelium praedicantur; & tanquam testes profectus Ecclesiae & Ministrorum Ejus in cognitione Mysteriorum, quae olim ipsos etiam latuerant. Vel saltem, quod ex iis, quae *contingunt* in Ecclesia, ipsi Angeli possint intelligere, quae prius non intelligebant, multiplicem nempe varietatem Divinae Sapientiae in regimine Ecclesiae & dispensatione gratiae suae diversis temporibus. Unde saltem patet, Angelos testes & in-

inspectores esse eorum quæ in Ecclesia prædicantur & geruntur. Etenim nullus peccator ad resipiscentiam & fidem sinceram per Evangelii prædicationem adducitur, quin id percipiant ac norint Angeli cœlestes. Cæteroquin enim non possent eam ob causam lætari. Quod tamen ipsos facere, disertis verbis tradit Servator noster: Luc. XV, 10. *Ita, dico, gaudium est apud ANGELOS DEI super uno peccatore resipiscente.*

§. 31. Idcirco si consulamus Interpretēs Eruditissimos, non paucos reperiemus, qui ex loco Eph. III. 10. inferant præsentiam Angelorum in Ecclesia, & quod illi testes sint eorum, quæ in ea geruntur ac prædicantur, aut si mavultis, docentur. In quem finem nos illum locum tantum allegavimus.

Beneditus Aretius, interpres sagacissimus, hunc in modum ad h. l. commentatur. „*Pri-*
 „*imum* hinc discimus, vocationem gentium
 „*etiam* Angelos latuisse. Sciebant quidem
 „*vocandas* olim ad gratiam; Sed modum &
 „*circumstantias* reliquas ignorabant, *quando,*
 „*scilicet, ubi, quomodo,* per quas personas vel
 „*organa.* Id principatus & potestates in cœlis
 „*ignorabant,* nunc illis innotuit. Ideo finita est
 „*cognitio* Angelorum, ut etiam illorum pō-
 „*tentia.* -- *Deinde:* Angelos hoc discere
 „*in Ecclesia* vel *per Ecclesiam.* Non quod ad-
 „*stant* tanquam alii auditores & discant a do-

„cente Ministro ; Sed quia experientia vi-
 „dent impleri, id, quod prius partim nove-
 „rant, partim ignorabant, & insolitum hunc
 „modum admirantur. --- Denique addit :
 „Et alia infinita habent Angeli, quæ admi-
 „rentur in Ecclesia Christi. Hæc illis schola
 „est, cui interfunt spectatores certaminum
 „sub cruce, confirmatores infirmorum &
 „consolatores. Ideo in ea oportet Ephesios
 „quam esse constantissimos :

Robertus Bodius verba Pauli hoc modo *ωδγ.*
φειζει, ac si ita locutus fuisset Apostolus :
 „Tam clara lux est, quæ per Evangelium,
 „etiam a me inter gentes prædicatum, in Ec-
 „clesia Christiana refulsit, ut etiam ipsi An-
 „geli, Divinam inde sapientiam plenius &
 „uberius agnoscant, observent, intueantur,
 „agnitamque laudent ac celebrent. In se-
 „quentibus autem de modo agit, quo Angelis
 „Dei sapientia per Ecclesiam innotescit.
 „Nempe non crasse existimandum esse, Ange-
 „los cœlestes hominum etiam Apostolorum,
 „concionibus eo fine interesse, aut olim præ-
 „sentes adfuisse, ut humano more de rebus si-
 „bi prius incognitis, illorum verbo & ministe-
 „rio imbuerentur ; quasi nos eos habeamus
 „in Ecclesia Christi condiscipulos : Sed po-
 „tius Ecclesiam Christi, sic ab Apostolis col-
 „lectam, vocatam & institutam ex Dei vo-
 „luntate, patefacta per Evangelium, Angelis
 „ipsis exemplaris aut speculi instar esse, in quo
 ipsi

„ipsi multiformem illam Dei sapientiam, non
 „sine summa admiratione lætitiæque contem-
 „plentur. --- In sequentibus addit: „Quip-
 „pe quum eos Ecclesiæ Dei adesse, piorum
 „cœtibus interesse, suâque præsentia ac præsi-
 „dio tueri, eripere, liberare, nequaquam
 „dubitandum sit. Ut *πνεύματα λειτουργικά*,
 „inquit Apostolus Hebr. I. 14. qui ministe-
 „rii causa emittuntur propter hæredes salutis
 „futuros. Hoc ipsum quoque sic dirigente
 „ac dispensante summâ Dei sapientiâ; ut
 „quorum ipsi salutem suo ministerio promo-
 „vent, quibus ipsi tuendis ac protegendis
 „ex Dei voluntate inserviunt; ex iisdem vi-
 „cissim in voluntate ejus agnoscenda profici-
 „ant, ex iisdem vicissim Dei gloriam cele-
 „brandi materiam & occasionem accipi-
 „ant. Vide porro quæ sequuntur, quæ, li-
 „cet insignia ad hanc rem, nobis exscribere
 non vacat.

§. 32. Quodsi ergo Angeli in Ecclesia præ-
 sentes adsint, tam *extra* cœtus publicosque
 conventus, quam *in* iis, & percipiant ea,
 quæ isthuc dicuntur & geruntur; facile per-
 spicere possumus, cur Apostolus urgeat,
 ut præ reverentia Angelorum, qui nos *obser-
 vant*, mulieres tam decore & modeste sese
 gerant in cœtu fidelium, uti id flagitat ea-
 rum creatio ex viro & subordinatio sub ma-
 ritis, cujus creationis & subordinationis

ii.

idem Angeli fuerunt inspectores & testes.

Et sane non abhorret a vulgari usu Christi & Apostolorum, ut in simili casu Angelorum Dei mentionem injiciant, & ad officium aliquod suadeant, vel a peccatis abhortentur, argumento ducto ab reverentia Angelorum. Sic Christus monet apud Matthæum Cap. XVIII. 10. *Videte ne contemnatis aliquem ex parvis istis. Dico enim ANGELOS eorum in cælis perpetuo videre faciem Patris mei cælestis.* Quin & Lucæ Cap. XII. 8. 9. idem Servator ait: *Quisquis me confessus fuerit coram hominibus, filius quoque hominis constebitur eum coram ANGELIS Dei. Qui vero negaverit me in conspectu hominum, abnegabitur in conspectu ANGELORUM Dei.* Quemadmodum & Paulus noster Timotheum suum obtestabatur, non tantum in conspectu Dei & Domini Jesu Christi, verum etiam Sanctorum Angelorum, ut præcepta, sibi data, servet. 1. Timoth. V. 21. Quid mirum ergo, si & hic loci præcipiat, ut præ reverentia Sanctorum Angelorum in cœtibus fidelium præcipue præsentium, mulieres sese modestum & decorum in modum componant.

§. 33. Rem acu tetigisse mihi quidem videtur Doctissimus Camero: „Simplex sensus „hic esse videtur, ut Apostolus hortetur mulieres ad gestandum velamen in capite, a-
it.

„itque naturam ipsam hoc docere. Sed quo-
 „niam fortasse causari potuissent viris id gratū
 „esse ut aperto capite incederent, sic occurrit ut
 „dicat, si *hominum* causa velamen non ge-
 „stent, saltem caput velent *propter Angelos*,
 „qui præsentes sunt easque conspiciunt, quo-
 „rum oculis (si fas ita loqui) probrosum &
 „inhonestum videtur ut aperto capite ince-
 „dant. Concinit Diodatus in notis ad h. l. &
 „cause: „D'autant que les femmes pouvoient
 „dire: Les hommes sont bien contents, que
 „nous soyons ainsi decouvertes, & nous
 „permettent cette legere usurpation du signe
 „de la superiorité que leur appartient: L'A-
 „postre respond: Si les *hommes* connivent a
 „ce desordre, les *Anges* perpetuels gardiens
 „de l'Eglise, assistans à ses assemblées, en
 „sont offensés. Nec non Cl. Heideggerus:
 „*Propter Angelos*, (præsentes scilicet nobis,
 „tum domi, tum in Ecclesia,) decori, ordi-
 „nis, pudoris, modestiæ, pietatis nostræ &
 „contrariorum etiam testes. Nam *Angelus*
 „*Domini castra habet circa timentes eum.* Psal.
 „XXXIV. 8. Hunc ipsam in finem Angeli
 „creati, ut videant opera Dei in Ecclesia, Deo
 „inserviant, laudem Dei multiplicent; quos
 „tristitia affici necesse est, si in Ecclesia of-
 „fenderint scandala, pravos mores, hone-
 „statem & decorum violatum: gaudere con-
 „tra, applaudere, Deo gratias agere, inno-
 „cent

centiæ testes existere, si honeste & ex decore geri omnia animadverterint.

S. 34. Hic colophonem dissertationi nostræ imponeremus, nisi adhuc in manus incidisset Commentarius Jacobi Fabri Stapulensis, qui aliter quam vulgo solet, Apostoli argumentationem concipit. Lectori non ingratum fore confidimus, si integram ipsius in hunc contextum exhibeamus commentationem: „Velim autem vos nosse (inquit Paulus) Christum esse omnis viri caput: caput autem mulieris virum: caput vero Christi Deum, Omnis vir orans aut prophetans operto capite, decorat caput suum. Omnis vero mulier orans aut prophetans non operto capite, dedecorat caput suum. Nam id perinde est ac si rasa esset. Nam si non velatur mulier, etiam tondeatur: quod si turpe est mulieri tonderi aut radi, veletur. Vir enim non debet velare caput; quum is sit imago & gloria Dei: at mulier gloria viri est. v. 3-7. quam pericopam hoc modo explicat: „Vir immediate factus est a Deo, imago & similitudo Dei ad ejus gloriam. Mulier vero mediante viro: quasi velamine inter eam & Deum posito. Medium enim ut interstitium & velamen quoddam est. Ad quod mysterium designandum, cum vir se convertit ad Deum (quod maxime aut orans aut prophetans facit) detecto capite, quasi nul.

„nullum inter se & Deum *velamen* habens,
 „sux creationis honorem, ut est, Deo offe-
 „rens, id facere debet. Mulier autem *capite*
 „*velato*, suam creationem agnoscens & ut de-
 „cet honorem Deo offerens, secundo loco &
 „gloriâ viri intermediâ. Est enim vir prima
 „& immediata gloria Dei: Mulier mediata
 „& secunda, & immediata gloria viri, & ipsi-
 „us viri gratia facta. Propterea subdit Pau-
 „lus *vf. 8. 9. 10.* *Non enim est vir ex muliere,*
 „*sed mulier ex viro. Etenim non creatus est vir*
 „*propter mulierem, sed mulier propter virum.*
 „*Quapropter debet mulier potestatem habere in*
 „*capite propter Angelos.* Nimirum: Quia &
 „*vir & Angeli* immediate creati sunt a Deo, &
 „ideo nullum *velamen* in hujus rei Symbolo
 „debet habere vir cum convertitur ad Deum,
 „non secus ac *Angeli*. At mulier non solum
 „propter virum habere debet, sed etiam propter
 „*Angelos*, Superbia enim esset, si creationem
 „suam *Angelis* faceret *equam*. Cum hanc po-
 „testatem habeat mediante viro. Quid est
 „enim mulierem *potestatem habere*, & *debere*
 „quidem *habere*, in capite: nisi mediante vi-
 „ro, mediante capite, qui vir ejus est?

§. 35. Si quis aliquid solidi in eo com-
 mentario reperire aut ex ea exsculpere queat;
 is suoper me licet, fruatur judicio. Ego sal-
 tem probare nequeo id quod scribit in phrasin
 pro-

propter Angelos. Etenim 1. Apostolus non dicit viros velamen in capite habere non debere *propter Angelos*, id est, ut ipse explicat, *non secus ac Angeli.* Sed *de mulieribus* loquitur. 2. Præterea a vero est absolum, quod vir *aperto capite* Deum orans in eo *conveniat cum Angelis.* Etenim si Angelos consideremus tanquam *Spiritus*, non habent utique *caput*, quod *velare* possint. Si vero ipsos consideremus in corporibus apparentes, vel in Emblematicis representationibus, omnino leguntur *facie velata* coram Deo esse. Cujus exemplum videre est *Jes. Cap. VI.* ubi representantur *Seraphim*, id est *Angeli*, adstantes *folio Jehovæ*, sex alis præditi, quarum binis *tegebant faciem suam*, binis autem pedes suos, ac binis volabant. 3. Neque video ullam in eo soliditatem, quod Apostolus diceret: *Ideo mulier debet habere potestatem in capite propter Angelos.* Id est, quia si *aperto esset capite*, eo ipso *creationem suam Angelis* faceret *equam*, quæ *superbia* esset, ipsam *parum decens.* 4. Quod eo minus nobis placere potest, cum in præcedentibus *ne yev. quidem de Angelorum creatione* meminerit.

GERHARDI CROESII, (a)

V. D. Ministri in Alblas,

De eodem loco

I. Cor. XI. 10.

COGITATIONES.

Apostolus hic utitur argumento „sumto, ut ajunt, ab honesto ac „decoro. Vult uti ne aniam dent „cavillandi, deridendi, malum „spargendi rumorem de Ecclesia, Corinthiis „infidelibus, adversariis, gentilibus ingredi- „entibus forte Ecclesiam, & vult, eos esse „absque offensa Corinthiis suis *συμπολιταις*. „Quamobrem mihi *ἄγγελος*, quos Apostolus „vult fideles ac Sanctos Corinthios in suis sa- „cris conventibus revereri aut timere, sunt „exploratores, nuntii, delatores, infideles, Genti- „les, qui Ecclesiam adibant, explorandi, „renuntiandi quid quisque in ea diceret & „ageret, qui se gererent &c. duntaxat irri- „dendi & accusandi causa. Certe congruit „in hoc nomen *ἄγγελων*. Vocabulum enim „*ἄγγελος* nomen est muneris, functionis, „I. Fascicul. **G** *ἄγγελος* offic-

(a) Debet huic Clarissimo Viri respublica literaria Hi-
storiam Quakerorum & Homerum Ebraizantem.

„officii, ab hac significatione in sacris literis
 „translatum ad *Spiritus caelestes, nuntios ac Mi-*
 „*nistros Dei*, qui a Deo saepe mittuntur ad
 „pios homines. Verum ut nomen ἀπόστολος
 „& ἐπισκοπος, quorum illud *missum* notat,
 „hoc *inspectorem*, ita & nomen ἀγγέλου tradu-
 „ctum quoque ad *Ministros Ecclesiae*, utpote
 „*missos* divinitus ad Ecclesiam, tanquam Dei
 „*nuntios*. Quin & Jac. II. 25. Viri isti, qui
 „*missi* fuere (ut est Jos. II. 1.) a Josua ad ex-
 „plorandam civitatem Jericho, & qui in libro
 „Josuæ indigitantur *exploratores*, ab Apostolo
 „*Jacobo* vocantur ἀγγελοι. Nempe nuntii
 „ad hoc *missi*, ut explorarent situm ac statum
 „regionis ac civitatis, & ut explorata, visa,
 „cognita, *renuntiarent*. Sic ἀγγελοι hic Jaco-
 „bo sunt, qui Paulo Hebr. XI. 31. κατὰσκοποι,
 „Ita apud Homerum saepe *nuntius explorans* &
 „*explorata renuntians*, est ἀγγελος. Loca,
 „quia obvia sunt, non adscribo. Quod si
 „tamen Homeri testimonium hoc non satis
 „expressum videatur, nescio, quid magis per-
 „spicuum atque illustre queat esse, quam
 „quod est Euripidis, in Βακχ. a vs. 663. ubi
 „ἀγγελοῦ, est qui *mittitur* a suo hero specta-
 „tum nuntiatumque, ut Bacchæ se gerant in
 „suis cætibus, ut qui cum illis conversaban-
 „tur, hospites effœminati, quemadmodum
 „juvenes, anus, virgines atque innuptæ, in
 „signum ac miraculum quasi εὐκοσμίας dimit-
 „terent εἰς ἄμυκ κόμην, *comas in humerum*, vs.

2,694. Ad hæc legatur Æschylus, cum ali-
 2,bi, tam ἔπι Θήβαις in principio, ubi ἄγγελ-
 2,λ⊙ est & expresse vocatur σκοπὸς ἢ καὶ δῆτης
 2,& ubi idem mox de se ipse: ἦκω, αὐτὸς κα-
 2,τόπῃ δ' εἰμι ἐγὼ τῶν πραγμάτων, & apud
 2,Sophoclem in Αἰνυ. Est ἄγγελος, est ἐξ' ἄγγε-
 2,λ⊙, & est ἄγγελ⊙ φύλαξ, custos, jani-
 2,tor, excubitor, ut qui veniant aut exeant,
 2,observet. Rursus in S. Scriptura Luc. VII.
 2,24. illi, quos Johannes mittit ad D. Jesum,
 2,ut quis Jesus esset sciscerent ac renuntiarent,
 2,nominantur a Luca Johannis ἄγγελοι. Adde
 2,Luc IX. 52. Hi qui Paulo hoc loco ἄγγε-
 2,λοι, puta fallaces, fraudulentī, quos Lu-
 2,cas nominat Cap. XX. 20. ἐγκαθίτης, qui
 2,observarent, ἀπατηρήσαντες, & renuntiarent,
 2,quid Jesus diceret atque ageret, ἵνα ἐνρωσι
 2,κατηγορίαν αὐτοῦ. Cap. VI. 7. Adde Cap. XIV.
 2,1. Ergo hi ἄγγελοι infidiatores, emissi,
 2,subornati, dolosi, pravi. Fuisse autem in
 2,cœtibus Christianorum ejusmodi ἄγγελοι,
 2,sive introiisse in Ecclesiam clanculum tales
 2,Speculatores, infidos, Apostolus Paulus do-
 2,cet Gal. II. 4. ubi eos nominat παρειστάκτοι.
 2,Sunt autem παρειστάκτοι, emissarii, subornati,
 2,infidiatores, peregrini, adventitii, qui dein
 2,evadunt ἀγωγοί, actores litis. Docet tales
 2,fuisse Judas vs. 4. qui de iis ait, quod παρει-
 2,σέδυσαν, subreperunt. Tertullianus Apol.
 2,adv. Gent. Cap. 7. Tot hostes, quot extranei;
 2,ἔτι quidem proprii etiam domestici nostri. Quoti-
 2,die

die obsidemur, quotidie prodimur. In ipsis plurimum cœtibus & congregationibus nostris opprimimur.

Nunc post nomen *rem* spectemus, ut nomina sunt propter *res*. Fuerunt Corinthii olim omnes, cùm mares, tùm mulieres, homines delicati, molles lascivi, luxuriosi, scortatores, tantopere his vitiis dediti, iisque infames, ut venerint in proverbium, atque ut isti, qui se his scædis moribus traderent, dicerentur *κοεινθιοι* & *κοεινθιαῖοι*. Hoc ipsum Paulus Apostolus notat, notatque eos quoque, qui suo tempore ad Christianam se converterant fidem ac religionem, istis turpitudinibus ex parte obnoxiosuisse, 1. Ep. VI. 9. 10. Itaque cum omnes usque adeo corrupti essent, omnes quoque viri ac mulieres æque essent effœminati, neque in habitu sexus discrimen tenerent, & viri instar mulierum velati essent, mulieres tanquam viri absque tegmine, & viri ut mulieres *κομαῖν* & hoc sese integumento vestire & ornare singuli ut cupiebant. Hoc de *coma* cognosci licet e Martiale L. X. Epigr. 65. ubi *Carmenionem*, jaçantem, se *municipem Corinthiorum*, ludit, dicitque eum id dicere nullo negante; propterea, quod more Corinthiorum, *flexa nitidus coma vagetur*. Cæterum notat Apostolus suo tempore fuisse in Ecclesia Corinthiaca etiam, qui videbantur Christiani, qui audiebant fideles, qui cluebant

„bant fratres, qui mensæ Domini erant parti-
„cipes, qui deprehendebantur quod erant
„istiusmodi mali homines, ut Apostolus no-
„lit vere fideles ac pios cum iis quidquam
„commercii habere, nedum ad S. cœnam eos
„admittere, nec mensam convictumque quo-
„modocunque communem cum ipsis habere.
„Cap. V. 7. Et notat inter hos quoque fuisse;
„qui erant εἰδολολάτραι, qui λείδοροι, maledi-
„ci, calumniatores, convitiatores. Immo
„qui qualesve quandoque sint λείδοροι, ut ali-
„os, ut probos atque honestos observant, ac-
„cusant, deferunt & sinistrum ac pravum ru-
„morem de iis spargunt, intelligi potest e
„verbis Josephi lib. contr. Apion. II. Atqui hi
„etiam illi ἀγγελοι, ementiendo adumbran-
„tes homines sinceros, interim emissarii, ex-
„cubitores, delatores, accusatores; a quibus
„ut Ecclesia sibi caveat, quibus ne occasionem
„cavillandi præbeat, Apostolus monet,

„Adhæc etiam alii erant *Corinthiensis frontis*,
„ut C. Frontonis verbum huc referam e lib. de
„voc. differ. Erant videlicet & fideles ac pii
„in Ecclesia Corinthiaca, πιστεύοντες, πιστοί,
„vere Christiani, sic conjugati, ut compar
„maritus vel uxor esset disparis religionis, id
„est ἀπίστον seu gentilis; adeoque tanquam
„reliqui Corinthii iisdem perditis moribus,
„I. Cor. VII. 12. 13. Hi autem Gentiles eti-
„am accedebant ad Ecclesiam, Cap. XIV. 24.
„Quos inter sine dubio erant, qui modo acce-

,,debant spectatum, exploratum, quid sui,
 ,,quid singuli atque universi in cœtu agerent,
 ,,quidam ut ἀγγελοι, nuntii, emissi, delatores,
 ,,calumniatores, qui omnia in pejorem partem
 ,,accipiebant dissipabantque. Hi ἀγγελοι, λεί-
 ,,δοροι, ἀγγελοι τῶ σατανᾶ, illius adversarii,
 ,,calumniatoris istius κατ' ἐξοχῶν. Jam ho-
 ,,rum ἀγγέλων causâ jubet Apostolus Corin-
 ,,thiis, ut ipsi hac continentia versentur in Ec-
 ,,clesia, ne alioquin dent ἀφορμὴν τῷ ἀνέκει-
 ,,μένῳ λαιδορείας χάριν; quæ verba sunt Apo-
 ,,stoli ad mulieres νεωτέρας, quibus eas mo-
 ,,net, ut modestiam sectentur. 1. Tim. V. 14.
 ,,Atque hac demum ratione, si hos hic loci in-
 ,,telligamus ἀγγέλους, argumentatio Apostoli
 ,,bella est ac valida. Ita si Corinthii in suo
 ,,conventu vitarent, ut viri non cum velami-
 ,,ne, mulieres non sine velamine agerent,
 ,,illi Corinthii extranei, Gentiles, non habe-
 ,,bant, quod Ecclesiæ objiciebant, cum Apo-
 ,,stolus, cum qui ad Ecclesiam pertinebant,
 ,,reprehenderent, damnarentque gentilium
 ,,Corinthiorum luxum & habitum indiscre-
 ,,tum capitis, ipsam quoque Ecclesiam sic
 ,,agere & Corinthizare adeoque ipsos in eo in
 ,,quo culpabant alios, se culpate & κατὰ κρίνειν.
 ,,Sic hanc infamiam vitarunt, ut isti ἀγγελοι
 ,,ut cæteri Corinthii ἀγλαοί, splendidi atque
 ,,ornati isti, non forent ἐγγελοῖσι neque γε-
 ,,λοποῖσι.

Sunt

„Sunt qui scripturam in voce Apostoli ἀγγέλλας tentant & aliud vocabulum substituunt, quoniam iis durum videtur, quod Apostolus hic referat ἀγγέλλας, illa πνεύματα celestia λειτουργικά. Ego nil quicquam sollicito. Quod si tamen alia vox ponenda esset, ego ponerem vocem istiusmodi ut est nomen ἀγγελοῖς.

IV.

JOH. D'OUTREINII

in eas cogitationes

EPICRISIS,

Una cum remotione quorundam dubiorum a viro quodam docto circa illum locum motorum.

IN hoc Viri Doctissimi discursu varia occurrunt interioris eruditionis specimina, quæ facere possunt ad illustrationem loci non minus in celebri hac ad Corinthios Epistola, & in hoc nostro præsertim capite. Verum enim vero quod ad ἀγγέλλας attinet, nequaquam me adstipulantem habet, ut per illos intel-

intelligam homines tales emissarios, excubitores,
 delatores &c. I. Primo, quia in antecedente
 dissertatione demonstravimus, vocem ἄγγελος
 absolute positam, non nisi de Spiritibus
 incorporeis sive in Scriptura N. T. sive malis si-
 ve bonis. Non equidem me latuit Jac. II. 25.
 Exploratores, a Josua missos, ἀγγέλους appellari;
 Verum ibi ex circumstantiis textus, & Historia,
 quam allegat Apostolus liquido, patet a quo &
 ad quodnam officium missi essent. Et Luc. VII.
 24. expresse Legati, a Johanne missi, vocantur
 ἄγγελοι Ἰωάννου. Sic quoque in loco Luc. IX.
 52. Ubi Christus dicitur mississe ἄγγελους Sama-
 riam versus, ut ei pararent hospitium. II.
 Secundo, quia vox ἄγγελος plerumque no-
 men dignitatis est, quando nullo circumscri-
 bitur adjectivo. Si autem Apostolus indigi-
 tasset tales insidiatores, subornatos, dolosos, pravos,
 procul omni dubio alio usus fuisset nomine,
 eoque non honorifico, sed odioso: quemadmo-
 dum id ita obtinet in aliis locis, a V. D. allega-
 tis, ut Luc. XX. 20. VI. 7. XIV. 1. Gal. II. 4. Judæ
 VI. 4. I. Cor. XIV. 24. I. Tim. V. 14. III. Ter-
 tio, quia demonstratum dedimus vocem τῶν
 ἁγγέλων, cum articulo demonstrativo, absolute
 positam in N. T. non sumi, nisi de Spiritibus
 Ministratoriis, id est sanctis Angelis. Quod ar-
 gumentum nequaquam infringitur per loca ex
 Homero, Euripide, Sophocle, Æschylo ci-
 tata. Hic enim de phrafi, in N. T. occurrente,
 est questio. Et nihil probant ista loca, nisi

nuncios quosvis vocari ἀγγέλους; & variis in casibus nuncios exploratum renuntiatumque mitti, quod ego equidem non nego; Sed hic est ἀπεγοδιάνυτος.

IV. Quarto: Quia nullam video vim in ratiocinio Apostolico, si tales exploratores per τῶν Ἀγγέλων intelligantur. Dixerat enim foemina creatam esse ex viro & propter virum, atque inde concludit IDEO mulierem velamen (ἐξουσία viri in eam Symbolum) in capite habere oportere propter ANGELOS; quod nequaquam fringeret si tales exploratores intelligantur. Et si rem ipsam tantum consideremus, cur velatae esse deberent mulieres propter illos exploratores, gentiles, infideles? cum illi, si viderent mulieres Christianorum sine velamine, viros autem comatos vel velatos, nihil aliud resciscerent, quam quod Corinthis passim in more positum erat, adeoque nullam inde rationem captare potuissent accusandi, irridendi & cavillandi Christianos. Quare concludo, potiozem esse vocis ἀγγέλων, quam nos dedimus & vindicavimus, acceptionem: ἕπερ ἔδει δεῖξαι.

Quod vero subjungit Vir Doctissimus, si sollicitandus esset textus Graecus, sibi videri legendum esse ἄλλὰ τῶν ἀγγελοῦς, propter irrisores, id nequaquam mihi fit probabile.

I. Quia ea lectio est contra omnium codicum fidem. II. Quia vox ea nusquam in Novo Testamento occurrit; & nescio an satis Graeca sit.

fit. Certe eam nec reperio in Glossario *Philoxeni*, nec apud Authorem *Etymologici Magni*, neque apud *Suidam*, neque apud *Budaum*, nec in *Henrici Stephani*, aut *Scapulae*, aut *Roberti Constantini* Lexicis. Quemadmodum etiam Vir Doctissimus *Joh. Jensesius*, Collega olim in Professoratu *Dordraceno* honoratissimus, a me super hac voce an *Græca* esset, rogatus, respondit se *oculos omnes & angulos* excussisse, sed vocem *εγγελοι* apud *idoneos Auctores* non reperisse.

Alius quidam Vir Celeberrimus, cui per *Epistolam* meam de loco hoc sententiam breviter exposueram, & *judicium ejus* rogaveram, paucis respondit. *Ex loco* 1. *Cor. XI. 10.* *ego vix me expedio, ut soleo ad multas herere difficultates, ex quibus alii tam facile & tantis cum asseverationibus se extricant. Quod Tu prætulisti, præferendum quoque putem reliquis interpretationibus a Te commemoratis. Speciosa certe sunt, que commentaris, & idoneam continent rationem ex Angelis cælestibus petitam. Sed tamen valde miror, ipsum Paulum ne ullum quidem verbum addidisse, unde liqueat, QUORUM ANGELO- RUM mentionem fecerit; cum vox sit πολυσημια, nec ulla rerum circumstantia ejus significationem hic vel minimum declaret.*

Ad quod respondeo; vocem *Αγγελοι* quidem esse *πολύσημον*; Verum quoniam ostendimus eam, cum articulo demonstrativo, absolute positam, semper notare *Spiritus ministra-*

stratorios, satis indeliquere, quorum Angelorum fecerat mentionem; & articulum illum satis declarare vocis significationem, secundum stylum Novi Testamenti & signate Pauli Apostoli.

Deinde miratur V. C. non exposuisse Apostolum, cur propter cœlestes ANGELOS magis, quam propter DEUM, qui ea sorte & conditione creavit fœminas, ut debeant habere ἐξουσίαν ὁμοίαν τῆς κεφαλῆς, aut propter VIROS, quorum respectu debeant habere ἐξουσίαν, quia vir est caput fœminæ & ἐξουσίαν in eam habet, quod illo tegumento capitis, quasi documento τῶν ἐξουσιῶν, & ideo dicta hic ἐξουσία, videtur declarari ex Pauli sententia.

Respondeo I. Quod fœminæ velamentum in capite gestare debeant propter Deum, qui eâ lege & sorte creavit fœminas, ut viris essent subditæ, Apostolus in præcedentibus docuit. Jam vero addit, illas, etiam præ Angelorum reverentia, talem ἐξουσίαν habere debere in capite.

II. Simili modo mirari quis posset, cur Apostolus Legis Mosaicæ authoritatem exaggeret inde quod fuerit λόγος λαληθεὶς δι' ἀγγέλων, Heb. II. 2. & peccatum contemptus parvulorum in regno Dei, ex eo quod Angeli eorum videant faciem Patris; cum potuisset Apostolus & Christus Dominus Deum ipsum allegare, qui ex Sinai locutus sit; & qui curam parvulorum gerat.

III. Sed

III. Sed subordinata non pugnant. Cum enim *Angelorum* facit mentionem, tacite *Deum* subinnuit, cujus *Angeli ministri* sunt. Confer quod supra ex *Mercero* ad locum *Eccl. V. 19.* allegavi §. 13.

Hinc, quod *Matth. X. 32, 33.* dicitur: *Quicumque confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram PATRE MEO qui est in caelis. Quisquis autem negaverit me coram hominibus negabo eum & Ego coram PATRE MEO qui est in caelis.* Id *Marci VIII. 38.* sic redditur: *Filium hominis pudebit ejus, quando venerit cum gloria Patris sui cum ANGELIS Sanctis.* Et *Lucæ IX. 26.* *Quando venerit cum gloria sua & Patris & Sanctorum ANGELORUM.* At *Cap. XII. 8. 9.* solum *Angelorum* fit mentio. *Filius quoque hominis ipsum confitebitur, vel abneget, ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ, coram ANGELIS Dei.*

Quod vero addit *V. C.* cur non dicat *Apostolus propter viros?* De eo vide responfionem *Amici mei* ad conjecturam an non legendum sit *ἄνδρας*. *Supra §. 9.*

Denique subjungit *Vir Celeberrimus:* *Sed tamen nihil melius, ut dixi, ego quidem invenire aut extricare possum. &c.*

Forfan *V. C.* integrâ meâ dissertatione viſâ & lectâ, judicabit me difficultates sic satis pro virili extricasse, vel saltem demonstratum dedisse, nullos alios quam *Angelos caelestes* hoc loco intelligi posse. Q. E. D.

V.

FRIDERICI CHRISTOPHORI
NEUBOUR (a)

DIATRIBE

DE

EXERCITATIONE CORPORALI

Ad locum

1. Tim. IV. 7. 8.

SUMMARIUM.

§. 1. **C**onnexio dicti nostri cum reliquo textu. Quid per *profanas fabulas* intelligatur. Sententia Menochii & Grotii. Nos intelligimus *gentilium fabulas*. Præsertim Ephesorum Dianæ cultum. Cur *aniles* dicantur? Cur Paulus ab his arceat Timotheum? Sententia eorum, qui per fabulas intelligunt prohibitionem matrimonii &c. rejicitur. §. 2. Quid sit *exercere se ipsum*? Quid sit *Pietas*? §. 3. Quid per *corporalem exercitationem* intelligendum? Sententia Braunii. Intelligimus *exercitationem corporis humani*. Dubium *Cameronis* diluitur. §. 4. Sententia *Danæi* &c. nostræ jungenda est. Quid significet *ad paucum*? §. 5. Conclusio.

§. I.

Postquam a gentium Apostolo, in priori ad Timotheum Epistola, generaliora quædam de Lege atque

(a) Vide Gl. I. fasc. 39 p. 237.

que oratione, exposita erant, instituit de-
 mum Capite III. dilectum hunc in Christo fi-
 lium ad specialiores officii sui partes informa-
 re, quid ipsum velut Episcopum, quid subordi-
 natos ei Diaconos, aut quemlibet Ecclesie
 Ministrum deceat, accurate ostendens, quo
 nosset Timotheus, quâ dexteritate in domo
 Dei ambulandum sit. v. 15.

At interruptit velut parenthesi quâdam
 hanc divi Pauli admonitionem initium capi-
 tis quarti, ubi Spiritus Sancti inflatu agita-
 tus, prædicit, defluxuros nonnullos, ulti-
 mis temporibus, a vero fidei tramite, qui,
 maculatæ cauterium conscientie externâ hy-
 pocrissi tegentes, & conjugia & promiscuum
 ciborum usum rejiciant, jubetque ut de ho-
 rum seductione fratres moneat Episcopus
 Ephesinus.

Tandem versu hujus capituli 7. adhortatio-
 nis filium resumit, *profanas, inquit, & a-
 niles fabulas evita, exerce autem te ipsum ad pi-
 etatem &c.* Quid per *βεβήλας καὶ χεανδρὶς μυ-
 θος* Apostolus proprie intelligat, fortasse non
 satis constat, neque admodum necessarium
 videri posset, anxie in mentem Apostoli hic
 inquirere; cum inepta & profana quæcunque
 merito à Christianorum sacris, & Theologi,
 non minore jure, quam ethnicorum Pontifi-
 ces, impuros arceant:

ΕΚΑΣ ΕΚΑΣ ΕΣΤΕ ΒΕΒΗΛΟΙ!

PROCULO PROCULESTE PROFANI!

In.

Interim tamen Viri longe Doctissimi certi quippiam, hic definiendum credidere: Hinc varia variorum ortæ sententiæ; pleræquetamen conjecturis solummodo innixæ. Ne omnes recitem, *Menochius*, quem nonnulli ex Pontificiis sequuntur, *Simonianos* hic perstringi existimat, quos de Deo bono atque malo, de pugna Angelorum, hisque similibus, longas fabulas texere solitos ex Irenæo aliisque Patrum ostendit. *Grotius* contra per fabulas hasce *Platonicam hypothesein*, καὶ ψυχῶν μετενσωματώσεις, intelligit, quippe quæ profanæ, & Ciceronis phrasi, *aniles ineptiæ* vocari mereantur; quo fundamento, uterque videat; cum non tantum incertanimis sint sed & dubia, quæ de Simonis secta apud Ecclesiasticos Scriptores leguntur. Sed ne minimum quoque appareat, in integra Epistola, vestigium, quo vel suspicatifissimus induci possit, ut augeretur, ad Simonianorum vel Platoniorum fabulas in his verbis à Paulo respici. Namque doctrinam de transmigrati-
one animarum culpata ab Apostolo *ἡτοχῆς* fundamentum fuisse, quod *Grotius* asserit, æque ac reliqua incertum est, ductumque inde argumentum petit principium.

Rebus adeo dubiis, si quod probabile nobis videtur, fateri licet, de *Gentilium fabulis* hæc satis bene explicari censemus, quæ *βέλους* ab Apostolo, & à B. Luthero in versione *ungeistlich* merito dicuntur; cum impurâ super-

perstitutione, plerumque etiam teterrimis sceleribus scædata essent. Nam βηλὸν dicitur purum, qualis est puritas in cælo sereno & astris, hinc Βέβηλον; nam Βε syllaba significationem dictionis mutat; ideoque recte intelligimus pollutum, cænosum, impurum, quod cælo & astris minime dignum est. Sic vocem explicat Bened. Aretius, Comm. ad h. l. Præsertim autem indubium quasi mihi videtur ineptam hic taxari Ephesiorum mythophiliam, qui quanta superstitione vel unicam Dianam, infinitis nominibus & fabulis celebrem, adoraverint non profana tantum, sed sacra quoque historia abunde testatur, lege Act. Cap. XIX. 23, 24, 25. Hujus in honorem Artemisia, cum Cyrenæis, Ephesii devote colebant. Nec ulla erat festivitas quæ εορτήν τῆς ἐφεσίους Ἀρτέμιδος splendore superaret. Hanc pompam virgines omnes indigenas & ephesos, splendide ornatos, celebrare oportebat; hic sacra, faces, canistra, suffimenta, equi, canes, arma &c. Deæ offerebantur, ingensque hominum multitudo spectaculo intererat, vel populorum, vel hospitum, ceu prolixè ex Xenophonte Ephesio recenset Petrus Castellanus in Heortologio. Thucydidem, Herodotum, Strabonem aliosque ex græcis scriptoribus qui conferre voluerit, his similia ubique offendet.

Μύθες γραιῶδες autem ista appellari, non poterant ægre ferre gentiles, quos habebat Paulus propriam turpitudinem confitentes;

Eratosthenes enim jam tum Poëticas fabulas *γενωδη μυθολογια* vocaverat, uti legimus apud *Strabonem Lib. 1.* At argute etiam *Diane cultum* hoc titulo insignivit Apostolus in Epistola ad Timotheum, Ephesiorum stoliditatem pungens, qui tanto apparatu mulierem colerent, cui ipsi *anile obstetricis munus*, sub *Ειλεθυε* & sive *Lucinæ* nomine, contulerant.

Ab hisce vero omnibus longe abesse, eaque sedulo vitare suum Timotheum Paulus jubet, cui alioquin juvenilis ætas, non licentiam tantum dare, sed necessitatem quoque injungere videbatur, more Ephesiorum, solennitatibus supra memoratis sese ingerendi, incumbendum potius pietatis exercitiis, ajens, quibus redderetur exemplar & verbi & vitæ, & amoris & Spiritus, & fidei & castitatis; quam prostituendam indecoris actionibus juventutem. *Capitis hujus vers. 12.* Fortassis etiam a fabulosis hisce & superstitiosis Ephesiorum pompis arceat Paulus Timotheum, ne quid inde damni accipiat. Erant enim festivitates gentilium Christianis periculosa, & si fides penes Auctores est, ipsi Timotheo lethales. Nisi enim omnia nos fallunt, quæ in Actis Sancti Timothei aliisque scriptoribus leguntur, quos allegat *Wilhelmus Caveus Antiqu. Patrum & Ecclesiast. in vita Timothei*: periit dilectus hic Pauli filius in ipso festo Ephesiorum, quod *καταγωγιον* dicebatur: ubi singulari vestitu & larvata facie, clavas dextrâ gerentes, cum Idolis

lis suis, male feriati per plateas vagabantur & in obvios quosque caninâ rabie percussores incurrebant. Impatiens enim hujus insanix Timotheus, quam dudum increpaverat, publice tandem obviam procedebat Bacchico furore amentibus, moresque truces & inhumanos acerbe redarguebat. At vero ruunt in monentem furiosi, clavisque, quas gestabant, tantum non occidunt. Vulneratus enim, & misere per vicos raptus, post triduum beate exspirasse dicitur.

Sed opponet hæctenus dictis & præferet fortasse aliquis sententiam illorum, qui per *fabulas* intelligunt ipsam doctrinam in præcedentibus ab Apostolo damnatam *de prohibitione matrimonii ac ciborum*; utpote quæ arctiorem connexionem cum antecedentibus inducere videtur, quam nostra. Attamen si dicere licet quod res est, nulla sane apparet necessitas, quæ nos cogat versiculum septimum hujus capitis immediate præcedentibus conjungere, quæ, quasi per parenthesis, cautelas Paulinas intervenisse ab initio diximus, & quæ versu sexto, per præceptum illud Pauli, quo Timotheus ea fratribus proponere jubetur, commode finita sunt atque clausa: adeo ut nulla amplius in hac Epistola eorundem fiat mentio; Sed Paulus, quod capite præcedenti desierat, hujus Capitis v. 7. sqq. pergat Timotheum suum instruere. Cum subsequenti-
bus autem quam amicissime conspirant ea quæ
huc

huc usque à nobis explicata sunt. Quam-
 cunque enim aliam sententiam elegeris, pe-
 netratu difficillimum erit, quâ ratione Apo-
 stolus pietatis exercitium *fabulis* opponat, cur
 ex improvviso ἡ γυμνάσιον καὶ τῆς γυμνασίας me-
 taphorâ utatur & *athletica* vocabula τοῖς μύθοις
 proxime subjungat. Si vero, quod supra as-
 sertum est, *per fabulas gentilium superstitionem,*
presertim Ephesiacum Dianæ cultum, intelligas,
 res erit in propatulo. Non enim longis so-
 lum ceremoniis DEÆ sacra fiebant, sed ludi
 quoque, certamina, gymnasmata à juventute
 instituebantur. Hinc EPHESIA ἀγὼν ἐν
 ἐφέσω ἡμιφανές, certamen Ephesi clarum, vo-
 cantur ab Hesychio, jaëtatque ter à se victum
 Ἀγῶνα ἐφέσιον Aurelius Asclepiades, apud
Smetium antiqu. Inscript. p. 314. More itaque,
 fere in omnibus Epistolis sibi familiari, Apo-
 stolus, loco, quo mittebat suas literas, se ac-
 commodat, & ex modo recensitâ Ephesiorum
 consuetudine occasionem arripit, spiritualem
 gymnasium Timotheo commendandi, quam
 Allegoriam prolixè prosequitur in Epistola ad
 universam, quæ Ephesi erat, Ecclesiam scri-
 pta *Cap. VI, 10. sqq.* Reliqua apprime his con-
 veniunt, quippe γυμνασίαν πρὸς εὐσεβείαν,
 de qua mox pluribus, egregie explicantia.

§. II.

Detraëtum jam à fabulosis Ephesiorum sa-
 cris, & quicquid ibi celebre erat, vel ludo-
 rum, vel certaminum, Timotheum in melio-

bus Athletarum, corporis quidem nuditate hostium insultibus expositorum, nullo vero non conatu victoriam tentantium & adversariorum eludentium pugnos.

Per εὐσεβείαν, ad quam se ipsum exercere debebat Timotheus, quid Paulus intelligat, nunc facillimum erit statuere. Scilicet quicquid ad verum Dei cultum ducit, quicquid amorem proximi suadet, quicquid auget fidem electorum DEI & cognitionem veritatis, Tit. I. 1, hoc omne uno *Pietatis* vocabulo includitur, ut adeo non sola voluntatis sanctitas hanc virtutem efficiat, sed requiratur quoque intellectus rectitudinem Pietas, Paulique ὑμῶν αὐτῶν πρὸς εὐσεβείαν hoc loco nihil aliud sit, quam illud monitum ad Titum Cap. II. 7. 8. *Per omnia te ipsum praebe exemplar bonorum operum, in doctrina integritatem, gravitatem, sermonem sanum, qui damnari non possit: ut qui se ex adverso opponit erubescas* &c. quod nitidissime à Lutherò in vernaculam translatum, ita sonat: *Allenthalben stelle dich selbst zum Fürbilde guter Werke / mit unverfälschter Lehre / mit Ehrbarkeit / mit heylsamem untadelichem Worte: auf daß der Wiederwärtige sich schäme.*

§. III.

Spiritualement hanc ad pietatem exercitationem eo jam severius commendat Paulus, quo magis inutilia sunt, & lusoria quasi, quaecunque circa corpus exercendum suscipi solent.

Ἡ ῥωμαϊκὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὀφέλιμος,
Corporalis enim exercitatio ad paucum est utilis.

Insolens profecto est, & singularis explicatio vocabuli *Exercitationis corporalis*, quam ad hunc locum subministrat BRAUNIUS, *Select. Sacr. L. I. c. 10. §. 156. Per hanc CORPORALEM, inquit, EXERCITATIONEM intelligere Apostolum legem ceremonialem mihi certum est; cum sit lex præcepti carnalis, ad Hebr. VII. 16. eadem sane ad pauca utilis est, quandoque nihil continet, nisi infirma elementa mundi. Gal. IV. 3. 9. Col. II. 8. immo mandata infirma & inutilia. Hebr. VII. 18.*

Verum haud scio an quispiam Doctissimi Viri sententiæ adstipulaturus sit, qui de regulæ hermeneuticæ veritate non dubitat, quâ vetitum est, ne recedamus à literæ proprietate, nisi summa necessitas nos cogat aliò deflectere. *Γυμνασίαν* autem *σωματικὴν* non, nisi maxime improprie, per legem ceremonialem exponi, primo statim patet intuitu. Neque Scripturæ usus huic interpretationi favet. Nam ne unicus, quod sciam, locus in sacris invenitur, ubi *γυμνασίας* vocabulum legem significare possit, aut *γυμνασία ῥωμαϊκὴ* legem ceremonialem. Denique nec connexio Braunii suffulcit explicationem. In proxime antecedentibus enim nulla legis ceremonialis fit mentio; sed Apostolus de sanctulis quæritur, qui extremis temporibus conjugium & ciborum indifferentiam erant impugnaturi.
 Sub.

Subsequentia autem nihil continent nisi regulas, Pastorales quas vocant, Timotheo præscriptas. Nec juvant Braunium allegata S. Scripturæ loca, quæ legem Veteris Instrumenti ceremoniam, ajunt quidem infirmam, carnalem, inutilem, post Christi adventum, evasisse, id quod nemo Christianorum ibit inficias: Sed Apostolo de hac lege ceremoniali indicto nostro sermonem esse, eamque per corporalem exercitationem significari, minime gentium evincunt.

Inhæremus ergo rectius literæ, quæ naturali suo & usitatissimo significato intendit *Exercitationem corporis humani*, quâ, laboribus, & certâ membrorum agitatione, vel *sanitatî* corporis consulitur, vel *agilitati & robori*. *Valitudini* frequentem corporis motionem quam plurimum conducere jam dudum creditum est: hortatur, hanc ob causam, Demonicum suam Isocrates in Parænesi: Ἀσκετῶν οὐκ ἐστὶ τὸ σῶμα γυμνασίων, μὴ τὰ πρὸς τὴν ἔρωμην, ἀλλὰ τὰ πρὸς τὴν ὑγίαιαν συμφέροντα, *ex corporis exercitiis ea amplectere, quæ non tam robori quam sanitati profunt.* Hæcce qualia sint, & quam utilia, exponit Plinius Hist. Nat. Lib. XXVII. Cap. 4. *Remediis adnumeratur, scribens, Exercitatio . . . in primis vero prodest Ambulatio, Gestatio, & ea pluribus modis; Equitatio stomacho & coxis utilissima, prohibet Navigatio &c.* Nec in minori erant pretio illa Exercitationis genera, quibus corpus *agile redditur & robustum.*

Saltatio, Jaculatio, Lueta & his similia, quæ
 lia præ cæteris, contrario Isocratis consilio,
 juventuti commendat Plutarchus in libello
 περὶ παιδων ἀγωγῆς Cap. XI. De hisce talibus
 simplicissime pariter atque verissime accipi
 Pauli verba persuasus sum, eoque tutius hanc
 calcari viam credo, quo magis ab Interpretum
 probatissimis quibusque trita est. Namque
 Chrysoftomus ita statuit, ita Theophylactus,
 & ex recentioribus, præter Clarium Zegerum,
 doctissimumque Scultetum, plurimi ex no-
 stratibus, Loco omnium adducam Celeber-
 rimum Academia Patriæ Theologum, Just.
 Christophorum Schomerum, qui in Exegeſi
 ad hunc locum ita commentatur: *Intelligit A-*
postolus omnia Palastra, Lueta, Orchestra, Can-
sus, Cursus &c. exercitia.

Equidem objicit *Camera in Myrothecio ad*
hunc locum Bellarmino, (qui Apostolum per
 Exercitationem Corporalem intelligere ait ea,
 quibus exercetur corpus valetudinis gratiâ,
 uti cum olim ludebatur pilâ, trocho, disco)
plane frigidum id esse, neque credibile Timotheum
eum fuisse, qui se in palastra ludis ejusmodi exer-
ceret, in quam sententiam ex nostratibus
 nonnulli quoque abeunt. Sed dubito num
 satis maturum fuerit Viri Eruditissimi, hâc in
 re, judicium. Primo enim respondere quis
 possit, cum umbris certare Cameronem; cum
 nec Bellarminus, nec quisquam, qui ejus
 sententiam amplectitur, dixerit, Timothe-
 um

um in palæstra corpus exercuisse, neque hoc ex Pauli verbis, nostrâ interpretatione suppositâ, manifeste sequatur, quæ non tam prohibent Timotheo corporalem exercitationem, quam præscribunt spiritualem, corporali infinities utiliore. At largiamur contineri in his verbis simul præceptum de moderate corporali exercitationis (cum enim oppositorum opposita solet esse ratio, à jussione spiritualis, ad cohibitionem corporalis, aliqua forte dari potest conclusio) non tamen propterea, Timotheum illum fuisse, qui se in palæstra ludis exerceret, inde statim sequitur, quoniam Paulus occasione verbi *γυμνασίου* metaphorice paulo ante positi, in sermonem de *γυμνασία* proprie sumta incidere potuit, licet eâ non uteretur Timotheus, quâ in sententiâ Doctissimus *Pricæus* est. Immò, non tam Timotheo, quam cuivis Ecclesiæ ministro, omnibusque Christianis, hæc dicta sunt atque scripta.

Verum quid si etiam ipsum Timotheum hoc tangere quis statuatur? an adeo frigida hæc fit opinio videamus. Quanto in honore apud Græcos fuerit Gymnastice & quam sollicitè adolescentes exerceri curaverint, nemo facile nescit, & qui ignorat, apud *Gerb. Job. Vossum de quatuor artibus popularib. Cap. III.* adductosque ab eo scriptores, ad nauseam legere potest: Unicum tantum pro hoc argumento, & egregium quidem, ex *Aristotele* locum ad-

ducam *Rhetor. Lib. I. c. V.* ubi de pulchritudine loquens, Νῆς μὲν καὶ δῶ, inquit, τὸ πρὸς τὰς πόνους χρήσιμον ἔχειν σῶμα τὰς τε πρὸς δρόμον, καὶ πρὸς βίαν - - διὸ οἱ πένταθλοι καὶ δισκοί, ὅτι πρὸς βίαν καὶ πρὸς τάχος πεφύκασιν. *Adolescentis quidem pulchritudo est, corpus habere idoneum ad labores, tum qui currendo, tum qui ad videlicet capiendi sunt &c. quodcirca pulcherrimi sunt Pentathli (i. e. qui Saltu, Cursu, Disco, Jaculo, Luctâ excellebant, ceu interpretatur, ex Simonide Syro, Schraderus) quod æque apti sunt ad vim & ad celeritatem.* Aspiciamus jam Timotheum nostrum, erat Juvenis, erat Græcus, Patre Græco in Græcia natus, Act. XVI. 1. quid mirum, si & Græcis educatus fuerit moribus & exercitatus?

Non quidem affirmaverim eum, postquam conversus esset, adhuc palæstram & Circos frequentasse; quamquam illud diu post, inter Christianos, adhuc non raro contigisse sciamus. Non solùm enim Philippus Arabs, de cujus religione dubitatur, sed Constantinus quoque & Honorius, & Theodosius & Valentinianus, aliique Imperatores Christiani, ludos Seculares atque Circenses, Romæ & Constantinopoli, publice celebrabant, sicuti ex eorum Historia, Ediētis atque Nummis in aprico est, à quibus juvenes & vulgus Christianorum tam male abstinebant, ut Patres Africani Anno CCCXCIX. censuerint, Legatione solenni orandos Cæsares,

ut spectacula Theatrorum caterorumque Ludorum Die Dominico, vel ceteris religionis Christiana diebus celeberrimis, amoveantur: maxime quia Sancti Paschæ octavarum die populi AD CIRCUM MAGIS, QUAM AD ECCLESIAM CONVENIUNT Canone Africano LXI. Præsertim autem adolescentes Græcos talis modi exercitia amasse testatur *Isidorus Pelusota*, qui *Lib. V. Epist. 185.* non tantum Harpocram Sophistam hortatur, ut suos a ludis & spectaculis abducatur; sed etiam epistola sequenti 186, ipsis ἐκλήνων παῖσιν adolescentibus Græcis (qui ut ex utraque Epistola apparet Christiani erant) scribit, monetque eos φεύγειν τὰ ΘΕΑΤΡΑ καὶ τὰς ΙΠΠΟΔΡΟΜΟΥΣ, τὴν κοινὴν τῆς ἐκκλησίας λύμην. edit. Paris. *Ægid. Morelli* p. 610.

Talem admonitionem Timotheo, tantæ pietatis ac devotionis viro, & qui jam dignitate Episcopali splenderet, necessariam fuisse, absit ut credamus. Attamen absurdum non est, nec frigidum, sed admodum probabile, si quis statuatur, respexisse Apostolum ad vetera illa juvenilis ætatis exercitia, eorumque exiguam utilitatem cum immenso illius exercitationis fructu, quæ est ad pietatem, nullo modo comparandam esse, Timotheum docuisse. At sane, si quis tam tenax sententiæ foret, ut etiam tum temporis, cum Paulus hæc scriberet, Timotheum corporis exercitiis incubuisse affirmare vellet:

in.

inveniret forsitan non ineptum asserti sui co-
lorem in Exercitationibus illis, quæ Valetu-
dinis causa tractantur. Namque poterat Ti-
motheus, citra absurditatis notam, citra pie-
tatis detrimentum, citra prostitutionem di-
gnitatis suæ, corpus exercere statione, De-
ambulatione, Vectatione, Portatione, Na-
vigatione, aliisque motionibus, quæ ad
Gymnasticam pertinent, non minus, quam
Pila, Trochus atque Discus.

§. IV.

Merito interim cum iis, quæ hæctenus
proposuimus, conjungi posse credo senten-
tiam *Danei* atque *Vorstii*, nec non *Hunnii* &
Gerhardi, qui per corporalem exercitationem
severam disciplinam & mortificationem carnis in-
telligunt, ubi vili victu, abstinentia, jeju-
niis, vigiliis &c. lascivienti corpori frenum
injicitur. Hæc enim *I. Cor. IX. 25 - 27.* & alibi,
ab Apostolo Christianis commendata scimus
& sub *corporalis exercitationis* denominatione,
si non primario, *secundario* tamen, ut in scho-
lis loquimur, comprehendi possunt. Recla-
mant quidem cum *Estio Pontificii* ferme
omnes. Dum enim opus operatum corpo-
ralis afflictionis, non *πρὸς ἄλιγον*, sed maxi-
mopere, animarum salutem conducere statuunt,
quæ eo faciunt, ad spirituales exercitationem
referri mællent. Sed copiose satis & solide
eorum objectionibus ab aliis, præsertim a
Beato Gerardo Comm. ad hunc locum, respon-
sum

Ium est. Scilicet quantumcunque hoc est
 exercitationis corporalis, non nisi *πρὸς ὀλίγον*
ἐστὶν ὀφείλιμον & multis parafangis pietatis
 studio postponendum.

Si Sancti Apostoli verba: *ad paucum*, juxta
 interpretem Syrum, ad temporis spatium re-
 ferenda sunt & dicto Paulino hic sensus tri-
 buendus: *Corporalis exercitatio ad exiguum tan-
 tum tempus utilis est, cum vita hominum morbis;
 senectute & quavis hora morti exposita sit.* Si ad
 hæc, inquam, respectum habet vox *ὀλίγον*,
 recte notat Beza subaudiendum esse *χρόνον*,
 uti & in dicto Jacobi IV. 14. Sed verior
 mihi, cum laudato Beza, videtur communis
 interpretatio, quæ *ὀλίγον* pro *ὀλίγα* hic poni
 asserit, quod Lutherus reddit: *wenig nütze.*
Pauca enim profecto sunt, ad quæ condu-
 cat corporalis exercitatio, quocunque etiam
 nomine veniat. Namque robur & sanitas,
 vana victoria, corona corruptibilis, leve
 præmium, aut quicquid tandem per eam
 obtinemus, si cum spiritualibus conferantur,
 quam flocci sint, quilibet intelligit. Neque
 summi momenti esse censenda sunt, quæ
 carnis domandæ causa suscipiuntur. Licet
 enim nonnulla pietatis impedimenta inter-
 dum removeant, regnum tamen Dei in iis
 positum non est, nec animæ salus per ea ac-
 quiritur. Unde etiam certo modo libera
 sunt & adiaphora. Tantum interim abest,
 ut corporalem exercitationem, qualis qualis
 illa

illa fit, quam diu justos intra limites continetur, (more Pharisæorum hodie renovato, quo culices percolant, qui camelos deglutire non verentur) damnare Paulus ac abominari velit, ut potius ipsi qualemcunque utilitatem tribuat, & quatenus pietatis exercitio impedimento non est, eam sua laude non defraudet.

§. V.

Ex hisce igitur omnibus quam certissimi reddimur, nihil adeo decere Theologum, nihil tam necessarium ab eo requiri, quam *ut se exercent ad pietatem*. Nullus hic labor, nullum studium subterfugiendum est, quo vel fidei incrementum, vel morum sanctitatem possit promovere; Sed velis eo remisque tendendum, *ut perfectus fiat Dei homo, ad omne bonum opus idoneus*. 2. Tim. III. 17, *Quæcunque corpus spectant longe his postponenda sunt, firmiterque sibi persuadendum, pietatem ad omnia; corporalia vero, quanta sint, ad paucissima prodesse.*

Veruntamen *corpus quoque exercere Theologo prohibitum non est*, inque ipsius libertate positum manet, qua disciplina corporali uti velit, modo officii sui gravitatem atque sanctitatem utroque oculo respiciat, nec quicquam procaciter committat, quod vel pietati detrimentum, vel pondus addere possit naturali nostræ ad malum propensione.

De vita & rebus gestis

JOHANN. WYCKII, (a)

Reipublicae Bremensis SYNDICI,
et MARTYRIS,

brevis commentatio,

Auctore

THEODORO HASAEO. D.

ARGUMENTUM.

INstitutum auctoris. Johannes Zvvyckius, Constan-
tensis §. 1. Nomen §. 2. Patria, genus, §. 3.
Controversia Reuchliniana. In ea contra Hochstratanum
Reuchlini partes tuitus est Romae, ubi fuit procurator
judicii §. 4, 5, 6. Epistolae obscurorum virorum §. 6.
Mar-

(a) Probe hic distinguendus est ab alio Johanne ZWY-
CKIO, qui eadem fere aetate vixit, idem fere nactus
erat & praenomen & nomen, eandem promovendo
ecclesiarum emendationi navavit operam, iisdem
Doctoratus honoribus insignis fuit, qui pariter ad juris
studium animum applicuerat. Hic Constantiae
vixit, & contra ejus loci Episcopum causam verita-
tis adseruit fortiter jam inde ab anno 1521. Studio
juris derelicto Theologiae operam suam addixit, at-
que oraculorum divinorum interpretis munere fun-
ctus est. De qua re ipse ad Zvvinglium ita scribit
in Epistola apud Hottingerum P. Hist. Eccl. T. VI. p.
442. *Saepe numero oportet ingemiscere, mi Zwinglie,*

Martinus Groning, Bremensis operam dat Reuchlino §. 7. Deperditi T. LIVII. libri bis fuere Bremae §. 8. Wyckius, Syndicus Bremensis ab hostibus capitur; A senatu Bremensi nomine civium rogat abrogationem ceremoniarum in ecclesia Cathedrali §. 9. Egregiam operam navat Bremensibus in seditione ibi circa a. 1530. exorta §. 10. Subscribit articulis conventus Smalcaldici. Bremensium in tuendo evangelio Zelus §. 11. Scri-

quod optimos illos meae aetatis annos in ediscendis studiis juridicis tam pessime collocavi. Sed Deus bene vertet omnia. Quam anno 1542. pestifera lues grassaretur in Helvetia, & minister ecclesiae Episcopo-Cellensis, (Bischoffs Zell) illâ exstinctus esset, ne grex suo pastore orbis dispergeretur, illuc se contulit, sed & ea correptus mense Novembri vitam cum morte commutavit. Bullingerus in epistola quadam Virum incomparabilem, Vadianus in ep. ad Ambr. Blaurerum exemplar Candoris vocant. A Zvinglio ad constantiam inflammatus est, ut ex Epist. Oecol. & Zvinglii p. 175. docemur. Myconius in nuper edita Reformationis historia p. 65. Virum appellat genere nobilem, & pietate atque doctrina praestantem. Gesnerus in Bibl. sequentes ejus libros enarrat. Germanicum de conjugio Constantiae editum in 4. Epistolam ad Ruttingenses. De Vera praeparatione ad mortem, Germanice in 8. Const. 1545. Fuit & alius JOHANNES Jacobus WICKUS ecclesiae Tigurinae Minister, illum collegisse ex literis doctorum virorum & editionibus rerum novarum atque narrationibus hominum fide dignorum annales rerum mirabilium & memorabilium ab anno 1559. ad a. 1583. tomis XX. partim Latina, partim Germanica lingua, opus delectu rerum factu, & methodo adhibita, utile futurum, sed manu tantum scriptum testatur Gesnerus in app. Bibl. p. 74. T. d. H.

Scripta Wyckii §. 12. Tumultus Bremensis: Wyckius
comitiis Ratisbonensibus interest. Caesaris & Prin-
cipum gratia fruitur §. 13. Epistola Wyckii ad Jaco-
bum Praepositum §. 14. Non Augustanae confessioni,
sed paci Noribergensi subscribit; Redit Bremam §. 15.
In urbe Monasteriensi promovet cursum Evangelii.
Anabaptistarum furor §. 16. Exit Monasterio, capitur,
destinatur igni, truncatur capite. Kraeftingius Wyckii
patronus §. 17, 18. Familia ejus & munera §. 19.
Eximiorum virorum de eo testimonia §. 20. Con-
clusio. Epicedium §. 21.

§. I.

Uod si Virorum virtute ac meri-
tis illustrium res gestas victuris
commendare monumentis non
minore cum delectatione, quam
utilitate conjunctum est, non operam me
abusuram confido, quam in hac scriptione
impendo. Tam eximia enim non solum in
patriam meam, sed & alios Principes, ac
provincias, immo ecclesiam à sordibus, quas
longa dies, ac superstitio invexerat, repur-
gatam, immo omnem literatum orbem, exsti-
terunt merita, JOHANNIS van der WYCKII,
tamque praeclaræ virtutes in eo eminere,
totque eximiis dignitatibus effulsit, ut tur-
pe propemodum videri possit, tanti Viri me-
moriæ perpetuo fere silentio adhuc fuisse
obliteratam. Tam pauca de illo consignata
literis exstant, ut ex iis exactam vitae, acto-
rumque seriem petere non possis, quae ta-
men cunq̄ue de eo commemorata sunt, ea
I, Fascicul.

magnum utique, & pietate non minus, quam eruditione insignem virum fuisse, sane quam arguunt. Ego, quae de eo sparsim tam in editis, quam non editis monumentis aliud agenti occurrerunt, his pagellis vindicabo ab interitu, ea spe fretus, me id saltem eo impetraturum, ut alii, quibus de eo accuratiores ac pleniores memoriae suppetunt nostro, exemplo incitati, ea spullici facere juris non detrectent.

§. II.

Nomen ejus scribitur Variis modis. Aliquando legimus Johannes WICH, vel WICK vél à WICK, saepe Johannes de VI. CO, vel quod idem *van der Wyck, von der Wycke*; frequentissime *von der Wyck*, sicut ita semet ipsum vocavit. Johannes REVCHLINUS, (b) cui renascentes literae omnes, praecipue Ebraeae tantum debent, quantum nulli alii mortalium, vocat eum *Johannem Vanderbicum*.

§. III.

Edidit eum *Monasterium*, urbs Westphaliae e primariis, quae non solum Episcopatu Germaniae augustissimo nomen dedit, sed & omnium sermonibus circum ferri coepit propter horrendas illas turbas, quas in ea, furiosa Anabaptistarum factio ante duos prope-

(b) In conclusione Libri III. de arte Cabbalistica p. ult. editionis primae Hagenoensis anni 1517. quam Leonis X. Papae inscripserat.

pemodum annorum centenarios excitaverat. Nobili in illa ac patricio genere ortus est. Memorat Hamelmannus. (c) ex eadem ibi familia vixisse duos patritios *Johannem & Engelbertum à Wich*; ut & sua adhuc aetate ibi superstitem fuisse ex eadem familia *Christianum à WICH*, Juris Doctorem, urbisque Consullem ac Syndicum. Reuchlinus nostrum citato loco vocat *equestris ordinis nobilem virum*. Num ex eodem genere etiamnum apud Monasterienses quidam floreant, non ausim pro certo affirmare, quanquam nobilem familiam, die *Schenckhing zur Wich* / in agro Monasteriensi non procul ab urbe etiamnum rebus laetis lautisque utentes ad eandem familiam pertinere, ex indicio non uno colligo: Ceterum, quis fuerit *WICKH* annus natalis, quibus genitus parentibus & reliqua, quae ad ejus educationis primaeque historiam aetatis pertinent, non licet commemorare, cum de iis quidquid etiam operae in investigando infuserim, ne *ye* quidem adnotatum reperii. Neque etiam multum in eo situm est, quin potius, ad ea, quae praeclare ac fortiter egit, enarranda nos accingimus.

§. IV.

Inter ea autem primo loco commemoranda venit insignis opera, quam immortalis memoriae Viro, ac literarum, inprimis Ebraicarum in Germania restauratori ac vindici *Jo-*

hanni

(c) In opusculis historicis p. 208.

banni REVCHLINO praestitit. Neque enim
 cuiquam ignota facile esse potest gravissima
 illa controversia, quae huic CAPNIONI
 ineunte seculo decimo sexto cum Johanne
 PFEFFERKORNIO, (d) JACOBO HOCH-
 STRATANO, Arnoldode TONGARI, alias
 LUYDIO, Ortuino GRATIO, ceterisque hu-
 jus furfuris inficetis hominibus intercesfit.
 Inchoata illa fuit Anno clolix, tantoque
 cum animorum motu, atque opum vi agita-
 ta, ut quidquid vere nobilium Acade-
 miarum, atque eruditorum virorum ea
 tempestate vivebat, in diversas partes scin-
 deretur. (e) Effectum hinc est, ut anno
 clolxiv. res demum ad curiam Romanam,
 sum-

(d) Sive potius Pefferkornio. Ita enim ejus nomen
 scribitur in libellis duobus, quos possideo, de Ju-
 daica confessione sive sabbatho afflictionis cum figu-
 ris. Ut & altero, qui vocatur Speculum adnota-
 tionis Judaicae ad Christum, impressis Coloniae a.
 1508. in 4. Est mihi quoque tabula, in qua oratio
 Dominica, Salutatio Angelica, & Symbolum Aposta-
 lorum Hebraice tam characteribus Hebraicis, quam
 Latinis expressa, & deinde Latine versa leguntur.
 In fine haec addita sunt. Hoc opus editum à Johan-
 ne Pefferkorn, olim Judeo, nunc Christiano, anno
 meo regenerationis tertio. Et impressum per me Jo-
 hannem Landen, civem felicis civitatis Coloniensis
 Anno Domini M. CCCC. VIII. die vero VIII. Mar-
 tii. Ex quibus verbis colligas eum Christo nomen
 suum dedisse anno 1505. quod ab aliis observatum
 non memini. T. d. H.

(e) Videri de his turbis possunt G. Struyii hist. certas

summumque Pontificem Leonem X. transferretur, qui cum Grimanium, atque Anconitanum Cardinales rei arbitros fecisset, post quinque circiter annorum concertationes, eo tandem res redacta est, ut triumpharet (f) Reuchlinus, cumque eo literarum patroni, causam autem HOCHSTRATANUS cum asseclis suis, barbariei atque inscitiae patronis turpiter caderet.

§. V.

Felicem hujus rei successum solertiae ac industriae WYCKII imprimis debuit. Is enim Romae causam ejus fortiter ac praclare egit. Audiamus haec ipsius Reuchlini verbis, quibus Leonem X. Papam in fine circiter Librorum de arte

I 3

Cab-

minis Reuchliniani in Actis litter. ex MStis editis fasc. II. p. 97. sqq. Joh. Henr. Maji, Vitam Reuchlini, ante hos triginta annos Durlaci editam p. 34-32. & p. 248-308. Cl. van der Hardt historiae literariae Reformationis pars II. Burck. in comm. ad Ep. Hutteni p. 149. sqq.

(f) Ansam haec res praebuit elegantis illius carminis quod sub hoc titulo. *Capnionis triumphus* sive *Johannis Capnionis, Viri praestantissimi encomium, triumphantis illi ex devictis obscuris viris, i. e. Theologistis Coloniensibus & Fratribus de ordine Praedicatorum ab Eleutherio Byzeno decantatum* prodiit, & quod in Cl. Maji vita Reuchlini p. 480. recusum est. Qui tamen pereximius Giessensium Theologus in eo videtur, aliquid humani esse passus, dum hoc carmen ab alio triumphali, quod tum ediderat Ulricus Huttenus putat esse diversum, cum tamen ipse ille Huttenus sit, qui sub Eleutherii Byzenii nomine voluit delitescere, T. d. H.

Cabbalistica, mense Martio a. 1517. adfatus est; narrat ibi multos Archiepiscopos, Episcopos, Ordinum generales, aliosque Theologiae & juris lectissimos Doctores tot sessionibus publicis in PONTIFICIAE MAJESTATIS domestico sacratio, quam Capellam Pontificiam vocant, semper agendo rem suam, ut omnia solet, fideliter oratore juris peritissimo JOHANNÉ VANDERBICO, tam equestris ordinis nobili viro, quam in causarum patrocinis disputatore acerrimo ac eodem Procuratore suo, tandem in ultima sessione causa plene cognita per sententias scriptis editas decrevisse, eum ab illa persecutione injuriosa liberandum ac absolvendum. Ad ditque nulli fuisse dubium, quin diffinitiva quoque pacis oraculi sententia reverendissimorum Judicum, ut debuerat & secuta fuisset, nisi tunc mandatum de supersedendo abs te, ut dicebant, accusatores impetrassent.

Ita in actis judiciorum inter Hochstratum & Reuchlinum editis Hagenoae in aedibus Thomae Anselmi a. 1518. mense Februarii, quae nuper recudi fecit celeberrimus vir Hermannus van der Hardt, partique secundae historiae literariae Reformationis, quam ex occasione nuperi Jobelaei Evangelici fecit prodire, inseruit, aliquoties dicitur nomine Reuchlini comparuisse, ejusque defendisse causam, adversarii res curante Johanne Koetenbruer. Ibi in diplomate, dato Romae d. 19. Januarii a. 1515. regnante Leone

Leone X. vocatur *providus vir* M. JOHANNES *van der WYCK*, in Romana curia causarum, & egregii & circumspetti viri Domini JOHANNIS REUCHLIN, LL. Doctoris principalis in praeinsertis commissionibus principaliter nominatus procurator. Ex quibus verbis simul discas *Wyckium*, magisterii honoribus tum temporis ornatum fuisse, quos deinceps cum summis in jure honoribus commutavit. Patet quoque ex illis, eum ordinarium causarum patronum Romae egisse, inque ea urbe fixas habuisse sedes. Sicut & à celeberrimo Majo vocatur *causarum in curia Romana curator* in libro de Vita *Reuchlini* p. 466. Id quod eo notandum est magis, quo acrius se deinceps isti opposuit, cujus scilicet artes illi, qui tam diu inter eos versatus fuerat, omnium ignotae esse poterant minime.

§. VI.

Hinc querelae adversariorum *Reuchlini* contra hunc *Wickium* passim auditae fuere; Expressae sunt illae in *epistolis* quas vocant *obscurorum virorum*, tum temporis ex occasione illius disceptationis *Reuchlinianae*, vel ab ipso *Reuchlino*, vel ab *Erasmo*, vel ab illustri Comite *Nuenario*, vel à *Johanne Croto*, vel ab *Eobano Hesso*, quod malim, ab *Ulrico HUTTENO* ejusque sociis vulgatis. Ille mihi quidem videtur indigitari, cum in tomò II, ep. 3. mentio fit, defensoris *Reuchliniani*, quem vocant *unum sacerdotem, qui est Monasteri-*

riensis, & bonus Jurista. Certè posteriora duo
 praedicata nulli melius, quàm nostro Wyckio
 conveniunt, ex quo autem simul discas,
 quod haud alibi notatum repperi, eum Sa-
 cerdotum quoque adscriptum fuisse numero.
 Lepida sunt, quae de illo leguntur in Episto-
 la, quae incipit. *Salutes venerabiliter. p. m.*
 288. Etiam Magister noster Jacobus de alta
 platea (vides indicari Hochstratanum) est in
 bona sperantia; sed JOHANNES WYCK,
 qui est procurator Joh. Reuchlini facit ei magnam
 instantiam. Ego semel affui, quando M. Jacobus
 dixit ad eum, Ecce tu es contra me, & credes, si
 habuero victoriam, ego tribulabo te ita, quod in
 tota Alemannia non eris securus. Ut & quae in
 alia Epist. quae incipit *Scriptistis mihi pag. m.*
 270. reperiuntur. Ille Magister noster est in
 magna miseria, propterea procuretis ei pecuniam,
 vel causa male stabit. Quia procurator Johannis
 Reuchlini Johannes VON DER WYCK facit
 maximam diligentiam, & currit & recurrit. Et
 nuper imposuit quaedam scripta contra Magistrum
 nostrum Jacobum, ita scandalosa, quod ego miror,
 quod Deus non aperte plagat eum. Alias hujus
 Johannis Wickii, tanquam patroni Capnionis
 quoque mentio fit in dialogo Hochstrati,
 quem Hochstratum orantem inscripsit, ex qui-
 bus omnibus, quam cara nobis hujus Viri
 memoria esse debeat, patet. Sane si nihil
 fecisset aliud, quam ut hanc promoverit
 Reuchlini causam de omni tamen re literaria,
 quae

quae tum temporis cum illa indivulso nexu
conjuncta erat, meritorius fuisset praeclaris-
sime.

§. VII.

Ceterum notare liceat, Reuchlinum, uti Ro-
mae causam suam tuitus est operâ Viri, qui
deinde Bremensibus meis adscriptus est, ita
eidem alium civem meum & popularem in ea-
dem tempestate insigni fuisse adiumento. Is fuit
Martinus GRONING, J. U. D. Bremensis,
Ecclesiae nostrae cathedralis Cantor, (quod
quidem splendidum munus non in alios,
quam generis nobilitate insignes Viros con-
ferri solebat,) qui tum temporis humanio-
res literas in Collegio sapientiae Romano pro-
fitebatur. In Epistolâ Hermannii Comitis
Nuenarii ad Johannem Reuchlinum vocatur
Cantor Ecclesiae Bremensis & Vir Celeberrimus a-
pud Cl. Hardtium c. l. p. 141. Non facile as-
seruerim, an ille ex equestri & nobili familiâ
Gröningorum, quae in agro vicino Bremensi
floruit quidem inter primas, sed sub saeculi
decimi sexti finem extincta est, ortus fuerit,
num vero ad praeclaram illam & patriam
patriae urbis gentem pertinuerit, ex quâ jam
A. 1338. Albertus GRONING consulari di-
gnitate conspicuus fuit. (g)

I §

libri

(g) Vide eruditi, dum viveret, Viri, ac Poëtae elegan-
tissimi Lunebergii *Musardi* Monumenta nobilitatis
Ducatum Bremensis & Verdensis, p. 253. 299.

libri sui, *Ocularis speculi* dicti, qui famosae illi liti ansam dederat, interpretationem debuit REUCHLINUS. Cum enim, ut dictum est, res ad forum curiae Romanae translata esset, litigantibusque dictus, dies XIII. Jan. Anni 1514., illius autem proceres de libro sermone ignoto, Germanorum videlicet, conscripto iudicium ferre nequirent, duobus Viris, quorum unus à partibus Hoogstratani, alter à partibus Reuchlini erat, eius libri versio demandata est. Postquam autem versionem ab Hochstrato oblatam, Sigilloque Universitatis Coloniensis munitam, mutilam, & mancam, multisque falsitatibus refertam, deprehendissent iudices, integram autem, atque omnibus suis compactam partibus, de verbo, ut ajunt, ad verbum desiderarent, quidquid hujus negotii erat, injunctum fuit GRONINGO. Curavit ille hoc gnaviter ac feliciter, fidelemque libri interpretationem causae Arbitris obtulit, ostensis plus ter centum erroribus, in alterâ illâ versione occurrentibus; Atque ita factum, ut hâc, tanquam perversissimâ & calumniis undique scatente, repudiatâ atque abjectâ, illa civis mei *Gröningii* in corona gravissimorum virorum ad examinandum *Oculare Speculum* à Pontifice electorum, publice & lecta & examinata & fidelis inventa fuerit. (b)

§. VIII.

(b) Vide Acta Judic. inter Hochstr. & Reuchl. apud Cl. v. H. van der Hardt in hist. lit. Reform, p. 11. *Majum* in vita Reuchl. p. m. 471, 472.

Hujus autem praeclari Viri cum meminī, non possum à me impetrare, quin memorem illum esse, in cujus olim manibus eximius ille, ac tot Regum, Principumque ac Virorum eruditorum cum aere, tum votis, licet nequidquam, expetitus thesaurus deperditorum T. LIVII, librorum exstitit. Hoc enim manu scriptum, neque editum Johannis Renneri Chronicon urbis Bremensis ad A. 1521. refert, hunc *Groningium* Nidrosiâ, sive Dronthemio, quae episcopalis in Norwegiâ sedes est, desideratos Livii (i) libros, manu exaratos accepisse, idque confestim Philippo Beroaldo, quo familiariter utebatur, tum praecipuam rei librariae Papalis curam habenti, per literas indicasse, qui laudis eum atque amplis conditionibus rursus

Ro.

(i) Verba ipsa. prouti ibi juxta dialectum inferioris Saxoniae leguntur, non pigebit adscribere; Dessulvi-
gen Jahres Itarff Doctor Martinus Gröningk, een Bre-
mer Kind und Cantor in Dome tho Bremen, een sehr
geleret mann, de hadde tho Rom im Collegio Sapien-
tiae publice gelesen. He fand de Decades und Böcker
T. Livii, de men nicht heft, i sorder verlaren sind, de
vverren geschreven und hadden beih her tho in Norvve-
gen tho Drunthem in der Liberey gevesen, de krech
he tho sienen henden, unde schreef sulckes an synen
guden fründt Philippum Beroaldum, des Pavstes over-
llen Bibliothecarium, de schreef ehme vvedder, be-
scholde darmede tho Romen kamen, hesvvolde dar-
mede de verseckeringe dohn, dat ehme thor stund,

Romam invitaverit, pro isthoc cimelio prae-
 ter itineris impendia mille ducatis, quae qui-
 dem auri summa isthac aetate non contem-
 nenda erat, oblatis. Narrat porro interea
 cum haec agerentur, Martinum illum diem
 suum obiisse, quo factum fuerit, ut deinde
 illa volumina à pueris, aliisque rerum igna-
 tis lacerata, eheu! illaetabilem in modum,
 ac dissipata fuerint. Interea non hâc tantum
 vice, sed & alias pretiosissimas Patavini hu-
 jus scriptoris reliquias in hâc urbe repertum
 iri, spes affulfit. In miscellaneis enim
LEIBNITIANIS, quae hoc anno à clarissi-
 mi nominis Viro Joach. Frid. Fellerò Lipsiae
 edita sunt, p. II. §. 41. haec lego. *Pater*
ZWEENBRUCK *suit Rector Coloniensis, Tre-*
virensis, Luxemburgensis, postea provincialis pro-
vinciae Coloniensis, item Missionarius Apostolicus
Bremam. Is sanctè affirmavit Patri Gamansio,
se in manibus habuisse BREMAE MStum Livii ple-
nium, sed cum mercator justo carius vendere vel-
let, tum neglexit. Cum rursus quaereret post
mercatoris mortem amplius non comparuit. Va-
 leant

ohne sine teringe und vveg, dusendt Ducaten scholden
 erlegt, unde betalet vverden tho verehrung. A-
 verst Martinus starff midlertyd, do vvar den de ge-
 funden Böcker Livii van kindern und andren, de
 deren kenen verstand hadden, thoreeten und verdur-
 ven. Welckes tho beklagende ifs, und sind also
 düsse edele Böke, vvedderumb verlaren, und nich an
 den dag gekamen. &c. Confer omnino Morosini
 um de Patavinitate Liviana cap. I.

nue ac feliciter gestis Bremam revertuntur. (k)
Eodem quoque Anno (l) invenio illum no-
mine praecipuorum quorundam civium no-
mine adiisse amplissimum Senatum, eum-
que rogasse, velit id agere, ut missa, ac re-
liquae papales ceremoniae in templo Cathe-
drali abrogentur. Cujus rei tamen repul-
sam tulere, quod Canonici ad universale
concilium habendum provocarent, quam-
quam ab eo tempore Magistratus sub V.
marcarum poenâ civibus suis interdixerit,
ne sacris in illâ aede imposterum interes-
sent.

§. X.

Sequenti Anno 1530. graves turbæ glif-
cere paulatim, patriamque nostram miseris
modis quassare ac concutere coeperunt. Oc-
casionem motuum praebuere publica *pascua*
(*Bürgerweyde*) de quibus à sacerdotibus, at-
que aliis quaedam direpta conquerebantur
cives. Res ea tandem in horribiles tumultus,
funestamque seditionem erupit, non
nisi post duorum annorum intervalla, cruen-
tasque caedes sopiendam. In his turbis Se-
natui ac civibus praestantioribus, quorum
saepe desideria ad Senatum detulit, egregi-
am navavit operam WYCKIUS, neque quid-
quam à se desiderari passus est eorum, quae
ad

(k) Vide Dilichii Chron. Brem. p. 194. & Joh. Renneri
Chron. Msc. ad illum annum.

(l) In Rean. Chron. ad A. 1529.

ad compescendos hominum furores, sedandosque exasperatos nimis animos facere possent. Praecipue ejus opera eminuit, cum ineunte vere A. 1531. octiduo ante festum Adscensionis eo furentis plebis rabies excreverat, ut non, nisi sanguine Viri nobilitate generis ac virtute praestantis Rudolphi à Bardewisch, Ordinis Teutonici equitis, Commendatorem (Kunterherren) vocant, quem literas Archiepiscopi Hartwici, quibus jura sua in pascuum defendi posse existimabant, possidere suspicabantur, satiari posse videretur.

Turbida BREMENSI in populo tum forte coorta est Seditio, saevitque animis ignobile vulgus.

*Jamque faces & saxa volant, furor arma ministrat;
Tum pietate gravem, ac meritis legare Senatus
WYCKIADEM; motos qui ausu componere fluctus,*

Sed frustra. Quamquam enim ille duobus Comitatus Camerariis e curia procederet, furenti multitudini obviam, ejus ut dictis animos regeret, ac pectora mulceret, operam tamen abusus est. Neque enim illi prius quieverunt, quam praestantem illum atque inculpatae vitae Virum praeformidine in tectum templi, quod Spiritus S. dicebatur (postea cudendae monetae destinatum fuit) se proripientem, & vitae suae tantum ut parcerent, custodiaeque interea dum ex jure secum ageretur, traderent, genibus flexis orantem, hastis unà cum quatuor,

qu

qui illi aderant, servis confessum trucidatumque, cadaveribus ex fastigio aedis sacrae in coemeterium disiectis, oppressissent. (m) Eodem Anno conventui, qui Basdalii ad sopiendas lites, quae inter Archiepiscopum, Christophorum, ejusque Fratrem, Henricum, Ducem Luneburgicum, Capitulum Bremensis Ecclesiae, urbisque nostrae cives coortae erant, ad d. IV. Kal. Septembris institutus erat, nostrum quoque WYCKIUM interfuisse, ex inedito Renneri Chronico discimus.

XI.

Neque minores pro emendatae Religionis incremento suscepit labores. Quum enim circa finem Anni 1530. conventus primus Smal-

(m) Vide Dilichii Chronicon Bremense p. 196. sqq. Dav. Chytræi Saxon. p. m. 330, 331. J. Renn. Chron. Brem. *avend.* ad A. 1530, 1531, 1532. Et inprimis MStum, aliud, cui titulus, *Acta de Brema ab A. Domini 1530. ad 1533.* Ubi statim in initio legis. Anno Domini 1530. do de hochgelahrde Doctor Johann van der Wyck vvas Doctor und Syndicus des Rahdes tho Bremen. Ex quibus verbis paene colligas, tum temporis unicum tunc tantum fuisse Bremae, qui Doctoralibus fuisse honoribus. Notabilia quoque verba sunt, quae in illis leguntur, ubi cum narratum esse, sedecim Viros ex Senatu, civibusque (Koopmann, Amten, und Gemeine) electos, qui exortas illas de publicis pascuis controversias dirimerent, additur; Der Meinte vwort heelt D. Joh. v. d. Wyck, des Rahdes Syndicus, und der vvedder part vword heeld mester Marten, des Ehrbahren Rahdes Secretarius.

Smalcaldiae (distinguendus autem ille probe est ab illo, qui A. 1539. habitus est, cui articuli, (n) quos vocant Smalcaldici, originem suam debent) à Johanne Saxoniae Electore, ejusque sociis Principibus Ernesto Brunsvicensi, Philippo Hassiaco, Wolffgango Anhaltino, & Gebhardo & Alberto, Comitibus Mansfeldensibus, multisque civitatibus indictus esset, ut inito foedere de mutuâ defensione, postquam Augustae, in quâ urbe Confessionem suam exhibuerant, sententiâ Caesaris damnati erant, sibi prospicerent, huc à S. P. Q. Bremano WYCKIUS ablegatus est. Atque hoc immortalis cedit patriae meae gloriae, tanto eâ tempesta-
BREMENSES castae religionis arfisse zelo, ut omnium promptissimi illi conventionis formulæ, quod factum est pridie Kalendarum Januarii Anni 1531. subscripserint, reliquarum civitatum legatis, si à Magdeburgensibus discesseris, tergiversantibus, & tum quidem subscriptionem detrectantibus. Liceat haec corroborare insigni testimonio illustris
 I. Fascicul. K SE-

(n) Cave has voces putes esse nomen alicujus viri, quem foedum errorem erravit Ludovicus Jacobus à S. Carolo, qui in L. II. Bibliothecae Pontificiae, quae Lugduni in Galliis A. 1643. in 4. prodiit. *elencbum exhibiturus haereticorum*, ut vocat, qui adversus Romanum Pontificem malo animo scripserant, p. 455. commemorat **ARTICULUM ALSMACALDUM Germanum, Lutheranum, qui ediderit de primatu & potestate Paparum librum.** Risum tentatis Amici! T. d. H.

SECKENDORFII, qui in immortalis opere
Historiae Lutheranismi (o) ita scribit. *Promissis*
erant BREMENSES, qui misso Syndico D.
JOHANN von der **Wyc** / (is multa pro reli-
 gione fecit & passus est) literis d. XIII. Decembri-
 datis paucis quidem verbis, sed mascule professi
 sunt, se pro viribus & facultatibus, cum aliis cau-
 sae consortibus omnimodo adfuturos esse (Dat wy
 uns darinnen nach unfer macht unde vermo-
 genheyde, gelyck anderer Medeverwand-
 ten, in aller bypflichtinge willick unde ge-
 horsahmlik finden laten wollen.)

§. XII.

Ut autem consilio atque industriâ, ita quo-
 que calamo causam hanc Principum Evangelicorum
 asseruit fortiter. Eum in finem at, se-
 quenti Anno 1531. conscripsit Latine, edidit-
 que *Consilium*, quo *Casari resistere licere proba-*
tur. Scriptum illud à Georgio Spalatino, ce-
 lebri illo Theologo Saxonico, cui Reforma-
 tio Ecclesiae plurimum debet, in linguam
 Germanicam conversum est, quod miror ab
 accuratissimo aliàs vitae Spalatinianae Scri-
 ptore Christiano Schlegelio non esse annotatum.
 Titulus libri hic est: **Johann Wyc's** / **Der**
Rechten Doctoris zu Bremen Rathschlag / **daß**
man dem Kayser wiederstreben möge. Exstat
 illud in *Hortleder* descriptione belli Germa-
 nici Tomi posterioris L. II. c. 7. sicut & nu-

per

(o) L. III. Sect. I. §. 1. in add. p. 2.

per recusum, atque insertum est T. I. num.
 13. Joh. Christ. Lunigii collectioni nuperae,
 quae ante hoc triennium Lipsiae in fol. pro-
 diit sub hoc titulo: *Europäische Staats-Con-*
silia, oder Curieuse Bedencken / welche des
Römischen Reichs teutsche Nation concerni-
ren seit dem Anfang der Reformation ad A. 1715.
 Ex hoc ungue leonem licet cognoscere, ar-
 guit enim ille liber WYCKIUM virum sane,
 ut illa tempora ferebant, fuisse Divini atque
 humani juris callentissimum. Neque tamen
 hoc unicum scriptum est, quod ab illo con-
 signatum exstat. Quod si enim fides haben-
 da perillustri SECKENDORFIO (p) (& quis
 illi eam denegaret?) in tabulario Vinariensi
 hodieum asservatur *Consultatio D. Joh. de*
VICO (von der Wyck) Syndici Bremensis, in
qua multis rationibus demonstrat, Pontifici &
Clero Romano iudicium & decisionem in concilio
deferri non debere, sed arbitris committendam esse.
 Videtur illa literis prodita esse A. 1533. &
 ad Johannem Fridericum, Electorem Saxo-
 niae missa, quando legatus Pontificis Hugo
Rangonus, Episcopus Regiensis unà cum Ora-
 tore Caesaris Lamberto de *Briaerde* Vinariam
 venerant, ut indicaret Saxoni consilium Pa-
 pae, de instituendo Concilio quodam gene-
 rali, in quo tamen ille primarias & praesidis
 & iudicis partes sibi postulabat. (q)

K 2 §. XIII.

(p) In hist. Luther. L. III Sect. 7. §. 17. p. 44.

(q) Vide de hac re *Sleid, Comm. de St. relig. L. VIII.*

Interea loci turbæ illæ, quæ Bremæ cohortæ erant, non minui, sed indies immensum in modum augeri, ita ut summa imis miscerentur. Conculcata enim omnis Magistratus auctoritate, legibusque divinis humanisque spretis primùm populus summam rei quadraginta Viris, deinde centum & quatuor, quorum viginti sex ex unaquâque paroecia elegerant, tradiderant, quâ re status urbis, supra quam dici potest, miserabilis ac turbulentus redditus est; Ita ut IV. urbis consules, cum compluribus ex Senatu æque ac ministerio excedere urbe, ut temporis obsequerentur, & per sex fere menses Bederkesæ, qui locus sex circiter ab urbe miliaribus distabat, commorari coacti fuerint. Atque, quod horum quidem tumultuum pertæsus esset WYCKIUS, videtur fuisse in causâ, ut ille quoque maximam partem sequentis Anni extra urbem transfegerit. Cum enim sub hujus auspiciis Anni comitia Imperii agerentur Ratisbonæ, quibus ipse augustissimus intererat Imperator Carolus V. iis quoque ille adfuit, neque tam urbis, quam Serenissimorum Principum Philippi, Landgravii Hassiæ, & Ernesti. Ducis Lune-

Chytr. Sax. L. XIII. Seckend. hist. Luth. Lib. III. Sect. 7. §. 17. Hortled. de B. Germ. T. I. L. I. cap. 13. sqq.

neburgici (r) nomine, qui ejus ministerio & consilio utebantur, tametsi dignitate ac munere Syndici Bremensis etiamnum frueretur, fungereturque. Licuit ei tum colloquio frui gratiosissimo Caesaris, qui eum non solum per Fridericum Palatinum de suo favore ac benevolentia voluit securum esse, sed & ipsemet *bis porrecta dextera* de eo certiore fecit. Id quod sane eo magis commemorabile est, quo magis alia omnia potuisset vereri, cum causam Principum contra Caesarem non solum consiliis, sed & scripto illo, cujus modo §. 12. meminimus, strenue egisset. Didici haec ex epistola, quam ipsemet, cum Ratisbonae ageret, ad Jacobum *Praepositum* (s) primarium tum temporis Sacrorum Bremensium antistitem, meumque decessorem misit. Ejus editionem non puto ingrati fore Lectori, non solum, quod ipsa antiquitate se commendat, sed & genius ipsius Auctoris, pluresque ad historiam illius temporis pertinentes circum-

K 3 stan-

(r) Horum tantum à ministerio fuisse, inde colligas quod eos vocet diserte in epistola mox exhibenda *gratiosos Dominos suos & Principes*, quâ tamen appellatione non utitur, quando in eadem epistola Christophori Archiepiscopi Bremensis, ejusque fratris Henrici Luneburgensis, Johannis Friderici, Electoris Saxoniae, vel Friderici Palatini mentionem facit.

(s) Hujus ex monacho Augustiniano Evangelicae religionis fortissimi defensoris, vita, Deo dante, in his fasciculis locum occupabit.

stantiae inde disci possint. Non quidem ea,
 quae ibi de civibus meis narrantur, nimis iis
 honorifica sunt, fateorque turpe esse, haec
 de iis potuisse referri, & non refelli potuisse;
 Sed, ne dicam, infimam haec plebis collu-
 viam potissimum spectare, cum proceres,
 Ecclesiae ministri, & reliquus civium flos ab
 eius conatibus abhorruerit maxime, non
 tam, quae nobis honorifica, quam quae ve-
 ra, scribenda sunt, & bonum factum est, si
 majorum exemplo inde cautius mercari, &
 postea discat po-
 steritas.

§. XIV.

Litterae illae vulgari Saxonica lingua eum
 in modum fuere exaratae,

Denen Wehrdigen und Wohlgeleerden
 Herrn Jacobo Prawst des Worts Gar-
 des, getrowen Dener to Bremen, to
 unfer lewen Frowen, mynen besonderen
 Heren und guden Frunde. Frede und heyl
 in dem Herrn, mit sampt mynen bereitwil-
 ligen, unverdrossen Deenst stedes tovoren.
 Wehrdige und Wollgelahrde Herr, und gu-
 de Frundt. Ick mag Iwe Werde nicht ber-
 gen, noch vorentholden, wo dat am Mid-
 weken morgen negst der Dominike Jubilate,
 de Dorchluchtige Hochgebohrne Forste und
 Her, Her Hinrick Hertog to Brunsewick,
 und Lüneborø nefft von Kayserl. Maytt,
 Chor.

Chorforsten, Forsten, Bootschafften, Geistlyken und Weltlyken Forsten, Graven, Standen des hilligen Rykes, hervorgetreden, unde in eigener Persohnen, sulffs eene lange Rehde gedahn, unde darinne angetekent, dat Siene Forstl. Gnaden vor tween dag, van den Hochwerdigen Heren, Heren Christophoro Archiepiscopo Bremensi, Siener Forstl. Gnaden Broder eine Supplication, mit einer ingeschlaten Klage, entfangen, unde bath de vor dem gantzen Ryke to lesende, als dorch den Ertzkantzelär, nit lange geschehen. De Supplicatio wafs mit bedachtigem flyte, also gestelt, dat Kayserl. Maytt. und alle Chorforsten, Forsten, Heren, Graven, Stede, und alle Ledematen des Rykes, wedder de Stadt Bremen bewegen, und verbittert scholden werden, ehrer besen Stucken und Daeth halven, als leider geschehen is, unde de Evangelische Sake (als deme Düvel wontlyck is) daarmede beschweret, deme Evangelio einen gruwfahmen Anstoet unde Lesteringe gegeben, sunderlycken is hier ock ein gemene Geschrie binnen Regensborgk davon entstanden, dat de Bremere so bese ungeschickede Lüde syn, und so unvernünfftig de solcke dinge doen, und to voren nicht bedencken, wet ungelymptes, Unehr, Ergernisse uth solcken to folgen plecht. Werrumme Ick My nicht wenig bekummere, dat Ick nicht alleene My

Ichame ein Syndicus der Stadt Bremen to
fiende, ofte genomet to werden, sündert,
dat ick ok my entholde, wane in sulcker
Stadt, dar so bese Tucht, Recht und Politie,
ok sulcke Lüde, de sick so unthiecklyck, so
unchristlyck unde unehrlycken schicken,
unde neen Recht geven edder nehmen wil-
len, dan in eren egenen saken, Kläger, Tü-
gen, unde Richters syn willen, unde daar-
mede frevelycken wortfahen, wieder ward
angeklaget, dat de Bremers dat Kloster St.
Paul. buten Bremen neddergebraken, ok de
Monnycken uth der Stadt verdreven, unde
den Kumptheren, in S. F. G. Schutz gewe-
sen, sulff vuffte gemordet, siene Gude ge-
plundert, gerovet, unde weggenommen,
und de Stadt Bremen itlycke Jahr her un-
gehorsam gewelen, und, wo dat sick
hundert und veer Manne hadden upgewor-
pen, dat Regimente angenahmen, solcke
Drouworde gebrucket, wedder de Domhe-
ren, dat se sick befrücteden, mit en umto-
gaende, und by en to blyvende, derhalven
se uth Bremen geweken wären. Ok doo de
Meinte am Palmdage in den Doem gefallen,
darinne moetwillig gekandelt, einen Predy-
cker, den se Evangelisch nömen, up den
Predyckestoel gefohrt, und de Lofflyken
Olden Ceremonien affgedahn, unde vele
anders misgelandelt, unde alle nu solcke
beschwarlycke Tydinge gelanget en den
Hoch-

Hochwerdigen Heren Christoffer Archiepisc.
 to Bremen, de alrede up den Wege was na
 den itzigen Ryckesdage, bis to Vehrden ge-
 kahmen, is he verohrfaket to werden, im
 Stiechte to blivende, up dat dem Stiechte-
 nenen Schaden geschege dorch de moetwil-
 ligen upröerschen Bremers. Derhalven ge-
 beden, entschuldiget to siende vor Kayserl.
 Maytt., unde dem gantzen Rycke, unde
 disse dinge mit fliete antobringende, Kayserl.
 Maytt., unde wet darumme to Redende
 wäre, unde mit dem besten vortonehmende
 to doende, dar ick den anders nicht uth ver-
 mercke, sunder dat de Stadt Bremen, umme-
 der willen, de sick nicht willen seggen edder
 raden laten in groot ewig Verderff kamen
 werden. Ok so hefft de Hochgebohrne For-
 ste Hertog Hinrick, im Ryckesrade sülfts
 Persöhnlickem my to sick gefordert, und my
 gefraget, offte ick nicht erwuste, hefft my
 Syne Forstl. Gnaden angefecht, dat miene
 Heren, de Veer Borgemeestere uth Bremen
 van Furchten der Meinte wegen, mit velen
 andern Borgeren, de Flucht genahmen, und
 davor de by Sienen Gnaden Herrn Broder
 den Ertz-Bischof Geleide hedden geworven;
 Wieder will ick Jwer Werde nicht bergen,
 dat des Chorforsten to Sachsen Råde und
 Gesandten, unde ick mit samt Mester Hin-
 rick Buck, als mienes Gnädigen Herrn, und
 Forsten, Herrn Ernstes, Hertog to Lüne-
 K 5 borg

borg Râden. Desglycken mienes Gnâdigen Heren und Forsten, Heren Philippus Landgraven to Hessen Râde, und Gefandten, by *Kayserl. Maytt.*, unsen Allernâdigsten Heren am Mandage Misericordiae Domini gnâdig Gehôr gehadt, *und gaff Uns alle zweemahl siene Handt*, und nam gûdtlycken an de entschuldunge des uthblievendes der vorgeachten Heren und Forsten, und Sein *Kayserl. Maytt.* ledt dorch Pfaltzgraff Frederick uns ansegggen, *Wo Syn Kayserl. Maytt. bedde an unsern Persohnen ein gnâdig Gefallen, unde wyl myt Uns to Frede.* Item von deme Turcke is hier to Regensborg, mannigerley Sage; De ôsterschen Lande syndt umme Hulpe und Bystandt vor den Ryckeständen gewesen, unde seggen, de Turcke sy in groter Rufftunge, unde met groter Macht unde Gewalt int Koningrycke van Hungern ankamen, unde de Sage geit hier; Wo *Kayserl. Maytt.* will affverdigen und holden wedder den Torck, X. dusend Hispanieren, X. dusend Italiâneren, und X. dusend dudscher Landsknechten, und VI. dusend guder Rûder gravioris Armaturae, dar will Ferdinandus de Koninck syn Volck, ok to upbringen mit aller Macht, und des Ryckes Stände; Desgelyck ok ein grot Heer upbringen; Wat averst to Schwienfort dorch de Versamelinge der Evangelischen Bundtenüsse, de Forsten, Heren und Steden, gehan-

handelt und beschluten werd der Christly-
cken Religion halben, is noch nicht am Da-
ge, sunder wir verwachten hier alle Stunde
nie Tydinge darum; Siet Gade befahlen,
und grötet my alle goede Frunden, Jwen
lewen Frowen, und alle Jwe Brodere de
Praedicanten, und vormahnet se, dat se
Gott mit flyte bidden, und dat Volck ver-
mahnen tot Frede und Eindracht. Gelchre-
ven to Regensborg Anno 1532, am Frydage
na Cantate.

Eur. Werde

Gewillige

Johann van der Wyck,

Der Rechten D.

§. XV.

Eodem porro anno 1532 eum confessioni
Augustanae a. d. 6. Kal. Sextileis s. d. XXIII.
Juli subscripsisse in indice manuscripto Syn-
dicorum Bremensium legitur. Sed in hac
narratione errorem latere, neque hanc sub-
scriptionem de Augustana confessione,
quae jam ante biennium a Protestantibus ex-
hibita erat, sed de pacis conditionibus, inter
Caesarem & Evangelicos in conventu Nori-
bergenfi sancitis, intelligendam esse auguror.
Huic enim quidem conventui dictus erat
dies tertius Junii, at demum die Martis post
se-

festum Mariae Magdalenae, hoc est, die XXIII. Julii sequentis (qui dies idem est, quem modo indicavimus) pax inita est publica, in qua ne cuiquam in Germania religionis nomine molestiae crearentur, tantisper, donec vel publico concilio vel alia ratione motus religionis causa exorti tollantur, decretum fuit. Pacem hanc VII. Germaniae principes cum XXIV. (non XXIII. ut Sleidanus habet) civitatibus signarunt, inter quas Brema haud ultimum locum obtinuit. *Bis* autem ei nomen suum adscripsit WYCKIUS, cum nomine *Ernesti*, ducis Brunsvicensis & Lunaeburgensis, tum Reipublicae Bremensis, quemadmodum ex catalogo nominum subscriptorum, cum Latino, tum Germanico, quorum ille apud Chytraeum, (in Saxon. p. 336.) hic apud Hortlederum (Tom. I. p. 69.) exstat, videre est, ubi vocatur *Johannes von der Wick, Doctor*. Atque hoc eo magis notandum est, quod illa Noribergensis (†) Pacificatio fuerit omnium prima earum, quibus de publica quiete, iis, qui si à veteris religionis dogmatibus sententiarum divortia fecerant, cautum fuit, quae etiam ab ipso Caesare post. Kal. Sext. publi-

(†) Vide de illa Sleid. L. VIII. p. m. 227. Chytr. Sax. L. XIII. p. 336. Seckend. hist. Luther. L. III. sect. IV. §. 9. Hortled. de causis belli Germ. T. I. L. I. c. 10, 11, 12. ibique allegatos magno numero auctores.

co decreto approbata, ac die sequenti Ratis-
bonae promulgata, ac deinceps saepius in
publicis imperii Comitibus sancita, confirma-
ta, atque ad annum 1546. illibate custodita
est. Ceterum his rebus feliciter peractis ad
nos reversus est WYCKIUS.. Saltim, cum
hoc tempore infelices illae in urbe hac co-
ortae turbae, quas commemoravimus, felici-
ter sedatae essent, Proceresque, qui urbe ex-
cesserunt, Bederkelā, veluti triumphantes in
patriam redirent, (id quod octiduo post
festum decollati Johannis Baptistae, qui dies
V. erat Septembris contigit) tum primo cur-
ru Danielem von *Buren*, (u) Meimarum von
Borckumb, Diedericum *Hoierum*, Consules,
& Jacobum *Zierenbergium*, Senatorem, alte-
ro autem nostrum Joh. von *der Wyck*, Syndi-
cum una cum Henrico *Vasmaro*, Henrico *E-*
schio, Johanne *Havemanno*, Senatoribus,
confedisse, atque inter jubila plaudentis po-
puli in urbem introductos (x) legimus.

§. XVI.

Quemadmodum autem omni opera ILLE,
cursum Evangelii, promovit, ita praecipue
id sibi negotii datum esse in urbe patria *Mo-*

na-

(u) Senioreni puta, patremque filii sibi cognominis &
consulari quoque dignitate conspicui, cui deinceps
triginta circiter annis postea Reformata in hac urbe
religio tantum debuit.

(x) In *avendölw* scripto, quod jam citavimus: *Acta*
de Brema a. 1530. & seqq.

nafterio credidit. Reformationis illius urbis
 successum huic, tamquam illius Syndico
 ejusque sociis Arnolde Belholdo, judici,
 Johanni Langermanno Senatore ac reliquis
 deberi testatur *Hamelmannus* in historia rena-
 ti Evangelii in urbe Monasteriensi. (In opusc.
 histor. p. 1189, 1190, 1200, 1207.) Hi tres
 quoque, quos nominabam, comites, audi-
 toresque fuisse Bernardi *Rottmanni* (in signis il-
 lius primum veritatis Evangelicae apud Mo-
 nasterienses defensoris,) est deinde nimis
 eheu! in feliciter ad rabiosorum illorum A-
 nabaptistarum gregem delapsi,) cum ille a.
 1532. circa festum Pentecostes publice in do-
 mo, quam vocabant fratrum, cum quibusdam
 non infimi ordinis Pontificiis, adjutus à Jo-
 hanne Glandorpio, Brixio Nordano, Gerhar-
 do Cotio in arenam de religionis capitibus
 disputaturus descendisset, narrante eodem
Hamelmanno. (ibidem p. 1191.) Atque his
 similibusque egregiorum virorum conatibus
 effectum est, ut longe maxima pars incola-
 rum urbis, Romanorum sacris valediceret,
 donec d. XIV. Februarii anni 1533. publica
 pactione, quam Philippus Hassiae Landgra-
 vius cum episcopo & capitulo, totoque po-
 pulo sigillis suis corroboraverant, sanciretur,
 in Sex urbis templis (Verba sunt Sleidani)
 evangelium esse docendum, quidquid sit impiae re-
 ligionis & superstitionisae tollendum, in templo prima-
 rio five cathedrali, nihil mutandum. Cum

vero non diu adeo postea Johannes Leiden-
 sis cum sociis suis turbare, furoribusque suis
 implere omnia incoepisset, suasque etiam in
 partes *Roimannum* traxisset, illi una cum Her-
 manno *Buschio*, Veteri amico suo, Viro &
 splendore generis, & eruditione & meritis il-
 lustri ac splendido Westphaliae ornamento,
 quem eum in finem ut Senatus in urbem (y) ad
 se arcesleret, illi auctor suusque exstiterat, in-
 primis restitit. WYCKIUS, primo quidem
 leviter eum atque rationum tantum ponde-
 ribus, deinde, cum hominis versipellem ani-
 mum fraudesque agnovisset, graviter ac stre-
 nue adortus. In relatione quadam manu-
 scripta de motibus illis Monasteriensibus,
 quae circa illa tempora scripta esse videtur,
 lego, *hoc deberi testimonium Doctori von der*
Wyckio, eum se Roimanno ejusque affectis vehe-
mentissime opposuisse. Idem quoque discimus ex
 An-

(y) Exstat de eo, ejusque vita, studiis, scriptis, itineri-
 bus & laboribus narratio Hermanni *Hamelmanni*,
 quae separatim primo prodiit, deinde aliquoties recusa
 & inserta Opusculis de *Westphalia*, ejusque doctis
 vitis, à Joh. *Goesio*, collectis *Helmst.* 1660. 4. *Reinh.*
Herm. Rollii memoriis *Philos. &c.* dec. 1. 2. editis
Post. 1710. 8. (qui liber idem est, cum illo, qui muta-
 to tantum titulo prostat, *Vitae Virorum eruditorum*
 auctore *Christ. Henrici*, *francofurti* 1713. quod ideo
 moneo, ne titulo deceptus librum eundem tibi bis
 compares, quod mihi contigit) & denique in opus-
 culis *Hamelmannianis*, quae *Lemgoviac* a. 1711. in
 4. prodierunt. T. d. H.

Antonii Corvini, de turbis Anabaptistarum
 Monasteriensibus libro, qui in Tomo II. ope-
 rum Lutheri, quae Wittebergae vulgata sunt,
 legitur. Verba ipsa non piget exscribere.
 Wann Doctor Johann von der Wicß noch le-
 bete / solte man von diesen und dergleichen Rott-
 manni Bubenstück gar seltsame Dinge hören;
 Dann ich ja dem gelehrten und frommen Man-
 ne / ob er wol umbracht / das Zeugniß geben
 muß / daß er außs heffrige dem Rottmann und
 seiner Rotten widerstanden.

S. XVII.

Cum autem malum latius in dies serpe-
 ret, omniaque fursum deorsum ferri, ac hor-
 ribilem in modum perturbari inciperent, te-
 terrimis hominibus sub pietatis larvâ rerum
 potiuntibus, & conculcatis omnibus divinis
 atque humanis legibus omnia rapinis, cae-
 dibus, stupris, aliisque nefandis sceleribus
 implentibus, quidquid bonorum erat, sibi
 urbe emigrandum esse judicabat, ne illis ma-
 lis, quae non solum à rabiosa illâ hominum
 colluvie, quae in urbe erat, sed & ab Epi-
 scopi copiis, quibus urbem obsidere occoe-
 perat, metuenda habebant, implicarentur.
 In eorum numero quoque Wyckius fuit,
 qui tempori inserviendum esse ratus urbe
 excessit, Bremam repetiturus, id quod exeunte
 anno 1533. mense Novembri factum est. Ac-
 cidit autem, ut in diversorio cum Chorepi-
 scopo Monasteriensi de religionis controver-
 siis

siis sermones caederet, atque ita, ut sit, disputaret acrius, qua re ille exacerbatum Virum coniecit in vincula, atque custodiae arcis Horstuariensis tradidit. Neque diu sibi cessandum esse ratus, protinus eum apud Episcopum & Collegium Canonorum, quos ille sibi infensissimos habebat, detulit atque accusavit tam atrociter, ut confestim eum tamquam haereticum, puniendum, & ultricibus flammis extinguendum esse decerneretur. Sententiae hujus executio sine mora demandabatur nobilissimo Viro Engelberto *Kraessingio*, Gogravio sive satrapae praefecturae Sandwolden. Ille autem, cum jam errores agnoscere cleri Romani incepisset, neque sibi tam cito obtemperandum esse putabat, adscenso equo, se protinus ad Episcopum, (2) apud quem valebat gratia, confert, atque illi, quam inexcusabile futurum esset facinus. hominem ejus dignitatis indictam causam crudelibus flammis addicere, verbis gravissimis exponit. Addit simul, se malle, se suis abdicare muneribus, quibus splendidissimisungebatur, quam & huic, & alii principis edito,

I. Fascicul. L. Eto,

(2) Fuit hic FRANCISCUS ex Comitibus Waldecoiae ortus, qui praeter Monasteriensem Episcopatum Osabrugensem quoque tenuit, & Mindensem. Is deinde causae Protestantium ipsemet favere coepit impense, eorumque doctrinae libertatem civitatibus suis concessit, atque cum ipsis a quo Smalcaldicis de mutuo foedere pepigit. Qua re summam Pontificis maximi

Et, quo omnibus praefectis, quoscunque possent, Lutheri doctrinae addictosprehendere, atque constrictos in arcem Bevergerden ducere, injunctum erat, morem gerere. Tantum tamen abfuit, ut veniam ac libertatem impetraverit Wyckio, ut potius ipse favore excideret Episcopi, dignitatibusque suis ac bonis exutus Monasterium primum deinde in Frisiam orientalem abire fuerit coactus. Interea Canonici metuentes, ne manibus suis elaberetur, aut aliorum Principum, quorum ille a consiliis erat, opera in pristinam libertatem vindicaretur, clam eum noctu capite amputato necant, exuviasque vallo arcis Horstmariae condunt.

§. XVIII.

Debeo hanc relationem scripto cuidam *à vendōlō* Hermannii *Kraestingii*, civis Bremensis, *Engelberti* illius filii, sermone vernaculo conscripto, quibus gentis suae memorabilia filiis suis exposuit. Eadem in simili scripto, quod

indignationem meritus est, cujus etiam sententia praesulatus suis a. 1547. fuisset exutus, nisi pro eo graviter Canonici intercessissent, ea praecipue, quae contra Anabaptistas antea sedulo egerat, de meliori nota commendantes. Accidit tamen deinceps, ut in illis motibus, quos Henricus, dux Brunsvicensis in Westphalia excitaverat, Episcopatu Osnabrugensi, ac Mindensi spoliaretur, mox Monasterii, in quam urbem confugerat, rebus humanis ereptus, id quod anno 1553. factum est. T. d. H.

quod manu exaratum possideo, confirmavit
 Hermanni F. Engelberti N. Henricus Kraef-
 zingius, Vir Cos. de patria nostra praeclare
 meritus, cujus etiam alia scripta Bremensem
 statum concernentia inedita exstant. Haec
 tamen narratio in eo discrepat ab illa Hamel-
 manni, quae in ejus opusculis Historico-Ge-
 nealogicis p. 1207, & 1208. legitur, quod
 ut hic accidisse haec refert in arce ditionis
 Osnabrugensis *Forstenovv*, ita Kraestingius in
 domo *Horstmar* occisum esse Wyckium nar-
 rantes audivimus. Ipsa verba Hamelmanni
 adscribere, cum non paucas notatu dignas
 circumstantias contineant, non pigebit. *Cum*
ille Doctor Wyckius turbatis omnibus fugeret è
Monasterio Bremam tendens, interceptus esse à mi-
nistris Episcopi ex sententia Capitularium Mona-
steriensium, dicitur circa Forden, arcem ditionis
Osnabrugensis (cujus quoque erat Praesul ille Mo-
nasteriensis Episcopus) & deductus in arcem For-
stenovv, (a) quoniam huic plurimum erant ira-
ti Pontificii in urbe Monasteriensi, & habebant au-
ctorem totius tragoediae, postquam is sua autorita-

L 2

te

(a) Cum Hamelmanno tamen quoque facit manuscripta
 relatio de Brema, quam aliquoties citavi, in qua
 haec leguntur, de a. 1532. *Op de tyt worden de*
straaten veerlyck, en Doctor I. van der Wyck toog
nyt Munster, word avers geyangen, en tot VORSTE-
NOWE umgebracht. Idem ille quoque confirmat in
Or. de Buschio, p. 298. Reuchlini causam Romae de-
fendit Buschii amicus Doctor J. U. Johannes à

re & eloquio apud Senatum, patritios & potentes, promovisset Evangelium, (b) & multorum egisset causam contra clericum & ramos saepe, (ita quoque procurator fuerat Romae Job. Reuchlini, ejusque causam strenue & fideliter exsecutus erat, quo nomine etiam omnibus Clericis & monachis infensissimus erat, qui omnes eum extreme persequuntur) veluti Johannes Baptista in carcere decollatus dicitur, & postea ejus corpus aggeri est inclusum,

Wick, qui postea anno 1533. in VORSTENOW ut sanctus Martyr, tyrannice est occisus à Canonicis Monasteriensibus, propterea quod ibi promovisset Evangelii doctrinam. Ego quoque malle hic cum Hamelmanno facere, quod locus ille Horstmar Monasterio Bremam tendentibus ad sinistram latus sit relinquendus, cum e contrario illis Forstnavia necessario sit transeunda.

(b) Hanc quoque crudelis hujus necis unicam causam fuisse putem, neque enim simultates, quas tum Bremensibus meis cum Praefule Monasteriensi fuisse ferunt, huc quidquam magno opere contulisse verosimile est, aliter ac visum fuit Jh. Seckendorffio, qui in hist. Luth. L. III. p. 87. ad a. 1534. scribit. Bremenses à vicinis infestabantur, capto illorum Syndico D. von der Wyck, qui foederatis omnibus à consiliis erat, vir, ut Ernestus Luneburgicus scribit, qui plurimum ad promovendum Evangelium, contulisset. Inciderat in manus Episcopi Monasteriensis, Bremensium hostis. Ut enim non dicam de particularibus litibus, quae urbi tum temporis cum Episcopo intercesserint, nihil constare certi, vix probabile est Principem, bonum alias ac clementem, iram, quam contra Bremenses conceperat, sanguine innocentis Viri, eorum Syndici, voluisse restringere. T. d. H.

sum; quod jussu & petitionibus ROTGERI SMIFINGI, Decani, & deinde CELLARII MELCHIORIS a BUREN per Praesulem actum esse fertur, aiuntque multi hunc posteriorem MELCHIOREM, aliquando tumulo istius Doctoris a WICK, insultasse & dixisse, ó vicinus, vicinus. hic jacet hostis noster. Ita est insultatum mortuo praeter naturam. Cum uxor istius Doctoris putaret maritum adhuc superstitem, tantum quod incarceratus esset, impetravit ab illustr. Duce Ernesto Luneburgico intercessorias literas (c) quas cum obtulisset, hoc tulit responsi. Doctorem Wick mortuum esse in carcere & jam sepultum. Fama quoque referebat, Episcopum istius facti valde postea paenituisse & semper conquestum fuisse id Dumberorum Monasteriensium instinctu factum. Haec Hamelmannus. Liceat ad haec magis illustranda quoque addere verba Johannis Dorpii, Monasteriensis, cujus *Vera historia de Evangelio Monasterii de- ceteri coepto, & deinde per Anabaptistas rursus ex- stincto*, Germanice a. 1536. prodiit & deinde secundo tomo operum Lutheri Wittenbergen- sium inserta est. *Am Frentage jagten die Wiedertäuffer das Volck / das ihrer Secte nicht war / zur Stadt hinaus / und wie wol das aus- jagten*

L. 3

(c) Multum frustra operae in sumsi, earum ut exem- plum nanciscerer. Suspico tamen eas in manibus Seckendorffii fuisse, atque ab eo ex iis illud Ernesti Ducis Luneburgici testimonium depromptum, quod modo adducebamus.

jagen einen Tag zuvor geschehen/ ehe der Bischoff
auf das neue die Stadt belagert / sind; doch dies
ser verjagten Leute etliche dem Bischoffe in die
Hände kommen / von ihm gefänglich angenom-
men / und zum Theil jämmerlich umbracht wor-
den. Unter welchen der theure und gelehrte
Mann / D. Johann Wyck, erbärmlich um sein
Leben kommen ist. Ach das unschuldige Blut
des frommen und gelehrten D. Johann Wyck,
schreyet gen Himmel wieder die Mörder / wie
Abels Blut ; Haec ille.

§. XIX.

*De familia Wyckii nihil mihi certi licet
adducere, nisi quod ex Hamelmanno p.
1208. didicerim, eum uxorem duxisse pau-
perculam saepiusque dicere fuisse solitum,
divites decere ducere pauperculas, ne illae despe-
rent. Munera autem obiit varia atque hono-
rifica. Romae eum caesarum fuisse patro-
num vidimus. §. 5. Ab anno 1528. nostrae
reipublicae fuisse Oratorem Catalogus Syndi-
corum MStus docet, & ex iis, quae narravi-
mus patet. Philippo Landgravio Hassiae,
atque Ernesto Luneburgico fuisse a consiliis
ex literis ejus supra adductis constat. An
vero apud omnes saederatos religionis causa, quod
Seckendorffium modo testari audivimus, ea-
dem dignitate fuerit fruitus, nollem tam-
quam exploratum affirmare. Urbis Mona-
steriensis quoque ad vitae finem fuisse Syn-
dicum, passim testatur Hamelmannus p. 1190.*

1207. *Scripta* ejus, quae ad notitiam nostram pervenerunt, supra §. 12. commemorata sunt.

§. XX.

Tantus autem cum vir fuerit, non mirum est, eum passim Virorum egregiorum testimoniis celebrari, quorum tantum aliquot liceat adducere. REUCHLINUM, at quantum virum! eum in literis ad summum ecclesiae Romanae Sacerdotem, datis *Oratorem juris peritissimum, tam equestris ordinis nobilem virum, quam in causarum patrocinis disputatorem acerrimum* vocasse vidimus §. 5. David Chytraeus illi encomium *viri optimi, & religionis verae studiosissimi* tribuit. (in Sax. p. 334.) Hamelmannus jam *sanctum* vocat *martyrem*, (In opusc. p. 298. 1189. 1208.) Jam profecto ait fuisse *usu rerum & experientia praestantem Virum & piuum, jam optimum & piissimum Virum*; Johanni Dorpio in libro de actis Monasteriensium, qui exstat T. II. operum German. Lutheri Wittebergenfium, ut & Antonio Corvino in libro, quod in eodem tomo de eodem argumento legitur, aliquoties vocatur *Vir pietate & doctrina praestans & quantivis pretii*. (V. Hamelm. p. 1308.) Illustris Seckendorffius, at quis eo in his rebus testis gravior est? *multa eum pro religione & fecisse & passum esse* testatur (in hist. Luth. L. III, p. 2.) Ernestum quoque, Ducem Lunebur.

burgicum, Principem optimum, hoc ei dedisse testimonium, quod ad promovendum Evangelium plurimum contulerit, visum est supra.

§. XXI

Atque haec quidem sunt, quae de hoc Viro ad notitiam meam pervenerunt ab aliis, qui majori doctrinae ac lectionis copia instructi sunt, forsitan uberius supplenda. Quisquis haec legere dignatus est, & cui libertatis, & Religionis, & literarum honos aliquo loco est, quarum rerum pretiosissimarum illum strenuum & felicissimum negotiatorum fuisse vidimus, eum facile mecum in eam sententiam descensurum arbitror, tanti Viri memoriam dignam omnino esse, quae ab oblivione vindicata aeternitati consecratur. Liceat mihi interea huic narrationi his Elegis coronidem imponere, quos summi & de meâ quoque patriâ praeclare meriti Viri virtutes elicerunt.

Splendida quem toties mirata est, ROMA
loquentem,

Quo tantum tremuit rafa minante cohors.

Optima REUCHLINI quo Vindice causa
triumphat,

Publica causa orbis quae melioris erat.

REUCHLINI, Ebraico cui tu, Germania,
debes,

Quod

Quod potes, & Grajo, quod potes, ore
loqui.

Quem molles aditus, atque ora faventia
magni

Caesaris expertum saepius esse ferunt.

Cujus consiliis salvae viguere tot urbes,
Magnorumque stetit resque salusque
Ducum.

Heu mihi! crudeli *sacrae* perit ense Ca-
tervae,

Gentis Honos, patriae gloria, WY-
CKIADES!

Flevit eum virtus, rerumque scientia fle-
vit,

Et pietas flevit dilacerata genas.

Illum ploravit passis Themis alma capillis,
Exstinctum luxit patria praesidium.

Totque illum reliquae doluere urbesque
Ducesque,

Turbidus e mediis Wesera planxit a-
quis.

Sola at laetitiis incessit turba malorum.

Risit & hunc hostem sic periisse suum,
Desine tu tamen, ah! vesani desine plau-
sus,

Crede, parum tanto te nocuisse Viro.

Dum stat PHABIRANUM, dum stabit &
incluta ROMA,

Tam bene gestorum lausque decusque
manet.

Mortuus est Christo, qui Christo vixerat
uni,

Et Musas Christo jungere doctus erat.
HUNC etiam, veri quod vindex esset &
aequi,

Sustulit immani turba scelesti nece.
Discipulus sequitur vestigia pulchra Ma-
gistri

Et servum Domini fors manet aequa
sui.

Qui semper vitam dignam transegerat
aevi.

Laudibus, an poterat dignius ille mori?
Da mihi, CHRISTE, tibi sic omnem vi-
vere vitam,

CHRISTE, tibi simili da ratione
mori!



VII.

HERMANNI DEUSINGII,

Jcti,

E X E G E S I S

Psalmi XCIX.

S. I.



Hic Psalmus in tres partes se dis-
pescit, quarum unaquæque con-
fessione Sanctitatis Jehovæ clau-
ditur, nempe v. 3. *Sanctum illud,*
no.

nomen tuum, vel *Sanctus ille Jehova*: v. 5. *Sanctum illud*, scabellum pedum ejus, vel *Sanctus ille*, Jehova: & v. 9. *Sanctus Jehova Deus noster*. Quæ ad τὸν ἁγιον ter *Sanctum*, Jes. VI. 3. Patrem, Filium & Spiritum, referenda opinor. Priore parte initium, alterâ progressus, tertiâ consummatio regni Messia delineatur.

§. 2. I. Pars prior habet inchoationem regni Jehovæ, magnitudinem ejus, & commendatam nominis ipsius confessionem.

A. Inchoatio regni Jehovæ. v. 1. *Jehova rex factus est, commoveantur populi: sedet inter Cherubinos, nutet terra*. Initium regni Jehovæ, ejusque sequelæ, heic bipartitò delineantur.

N. Initium regni. *Jehova rex factus est: sedet inter Cherubinos*. יהוה מלך, *Jehova rex factus est*. Is, qui jam factus est quem se fore promiserat, Jehova justitia nostra, Jer. XXIII. 6. Deus verax, Messias, nunc regnum capessivit, ex quo, peractâ peccatorum nostrorum purificatione, consedit ad dextram Dei in cœlis, atque inde Spiritum S. emisit in omnem carnem. Conf. Ps. XCIII. 1. XCVI. 10. XCVII. 1. יושב בכרובים, *sedet inter Cherubinos*. Sicut olim, sedens in propitiatorio, è medio duorum Cherubinorum loquebatur cum Israele, Mose internuntio, ita nunc, in propitiatione, per se ipsum factâ, acquiescens, & in hoc regni sui firmamento, ceu throno

throno gratia, sedens, sua edit oracula è me-
 dio Prophetarum & Apostolorum, internun-
 tiis Evangelii præconibus. Cum enim hic
 sermo sit de tempore Novi T., & eo quidem
 præcise, quo Jehova ipse, abrogatis Angelis,
 seu Diis dictitiis, jam regnum inierat, per
Cherubinos intelligendi sunt omnino Cheru-
 bini mystici, h. e. non *Angeli*, qui sub V. T.
introspicere cupiebant in mysterium propitiatio-
 nis, sicut Cherubini in propitiatorium quasi
 prospectabant, sed (quos ipsi repræsentave-
 rant Angeli) Prophetæ & Apostoli, quorum
 illi *perpeffiones Christi & glorias ejus consequutu-
 ras ante prædixerant*, sicut hi eas per Spiritum
 e caelo emissum nunc evangelizabant, 1. Pet. I. II.
 12. & posito in se verbo reconciliationis, rogabant
 Christi nomine, reconciliari Deo. 2. Cor. V. 18.
 20. Nam utroque loco ad Cherubinos allu-
 ditur. Horum quippe *Cherubinorum currui*
 (uti est 1. Chron. XXVIII. 18.) insidens Jeho-
 va nunc vehebatur in deserto gentium, Ps.
 LXVIII. 5. emissis ad gentes Paulo & Barna-
 bā, qui verbum Apostolicum cum Prophe-
 tico, veritatem cum promissione, conjun-
 gebant, nihil loquentes extra Mosen & Pro-
 phetas, Act. XXVI. 22. Quo sensu Ps. XVIII.
 11. dicitur, Jehova, *insidens Cherubinis, volat
 volitatque super alas venti*, h. e. innixus pro-
 missione & veritati, sermoni Prophetico &
 Apostolico, quæ sunt quasi alæ venti, h. e.
 Spiritus S., his adminiculis fidem, factæ pro-
 pi-

pitiationis inter gentes propagat. Conf. Ps.
CIV. 3.

§. 3. ב Illius sequelæ. *Commoveantur po-
puli, nutet terra.* יִרְגְּזוּ עַמִּים, *commoveantur,
irascantur, contremiscant, trepident, populi.*
Cel. Tillius per עַמִּים *populos* hic & versu seq. in-
telligit *populos Israelis*, Act. IV. 27. de quorum
iudicio heic agi existimat. Sed vox עַמִּים,
populi passim de gentibus usurpatur, veluti
Ps. IX. 12. XLV. 6. XLVII. 4. 10. XCVI. 10-13.
&c. & a populo Israelis distinguitur eive op-
ponitur, ut Ps. XLVII. 10 *Voluntarii populorum
congregati sunt; populus Dei Abrahami,* & Exod.
XV. 13. 14. *Deducis benignitate tua populum tu-
um, quem redemisti ubi audierint עַמִּים
populi יִרְגְּזוּ contremiscant.* Ubi idem de po-
pulis, h. e. gentibus, populo Dei oppositis,
prædicatur quod hic. Quemadmodum & hic
populis opponitur *terra*, nempe Judaica. Po-
puli autem dicuntur irâ *commoveri* propter re-
gnum Christi, regno Diaboli minitans inte-
ritum, vel potius jubentur metu *contremisce-
re*, h. e. abdicatâ superstitione suâ Jehovam
revereri, ex quo ille, inito regno suo, Spiri-
tum suum effuderat in omnem carnem, cu-
jus invictâ virtute fugaturus erat idololatri-
am gentium, extirpatis illius tenacibus.
נִטְוֵה הָאָרֶץ *nutet, moveatur, terra,* σαλ&δ&θ&ηλο
ν γῆ. *Terra* hic significat rempublicam Ju-
dxorum, ut Jes. XI. 4. Mal. IV. 6. &c. Hæc
per

per prædicationem Evangelii inter gentes ita erat concutienda, ut τὰ σαλδοόμενα *res mobiles*, lex & ceremoniæ legis, amoverentur, Heb. XII. 26. 27. Ps. LXXVII. 19. conf. Act. IV. 31. Siquidem, pace gentibus prædicatâ, conquiescere debebat inimicitia, h. e. lex præceptorum cum dogmatibus. Ephes. II. 14. 15.

§. 4. B. Magnitudo Iehovæ, v. 2. *Jehova Sione magnus est, & excelsus est super omnes populos. Jehova magnus erat Sione*, cum Christus, victoriâ de peccato, morte, Diabolo, & execratione legis, Hierosolymæ reportatâ, & vitâ ibidem in corruptione acque per effusionem Spiritus S. & prædicationem Evangelii illuminatâ & cunctis oblatâ, (quæ erant τὰ μεγαλεῖα ἑ θεῶν, *magnalia illa Dei*. Act. II. 11.) abrogatisque Diis dictitiis, ut jam munere suo defunctis, ipse solus regnum obtinebat, tanquam *Deus Deorum* Deut. X. 17. Ps. L. 1. à Diis illis adorandus. Ps. XCVII. 7. Heb. I. 6. Idem erat *excelsus supra omnes populos*, cum, judicato jam Diabolo, & Diis gentium commentitiis jam facessere jusfis, ipse per præconium Evangelii proclamabatur, & per fidem multorum indies magis magisque agnoscebatur. *Deus totius terrarum orbis*, Jes. LIV. 5. *Deus non Judeorum tantum sed etiam gentium*. Rom. III. 29. *Deus unus omnium*, Deut. VI. 4. *Rex gentium*. Jer. X. 7. *Rex & Dominus regum*. Apoc. XIX. 16. Dan. III.

III. 47. *Rex magnus super omnes Deos.* Ps. XCV. 3. Hic per omnes populos intelligere cum Filio, omnes tribus Israëlitis pugnat cum usitato phraeos istius significatu. Vid. Ps. XLVII. 2. LXVII. 6. XCVI. 3. CXLVIII. 11. &c.

§. 5. C. Nominis ipsius commendata confessio. v. 3. *Confiteantur, omnes populi videlicet, nomen tuum magnum & reverendum. Sanctum illud, vel sanctus ille. Nomen Jehovah magnum erat, quia nomen supra nomen: reverendum, quia in eo nomine, ceu unico sub cælo, per quod salvari oporteret omnes gentes, flectere se debebat omne genu.* Phil. I. 9. coll. Act. IV, 12. *Confessio ejus, omnibus populis commendata, significat futuram omnium gentium conversionem, quam prima prædicatio Evangelii inter gentes pollicebatur, & ad quam ea omnes gentes exhortabatur, quoniam nomen illud, sub veteri T: quasi prophanatum, dum Deus vocabatur Deus solius Israëlitis; nunc sanctificatum erat, ipso per prædicationem Evangelii regni Dei in mundo se demonstrante Deum totius terrarum orbis. Ut Seraphim nunc jure merito clamitarent, Sanctus ille. Pater videlicet in Filio. Siquidem hæc prior pars tribuenda est Deo Patri, cujus erant promissiones, 2. Cor. I. 20. quoniam inchoatio regni Dei erat quasi promissio consummationis.*

§. 6. II. Altera pars habet robur invictum regis, opus ejus rectum justumque, & ad adorandum eum excitationem.

A. Robur regis invictum. v. 3. *Et robur est regis, qui judicium amat.* *Y* significat robur invictum, victoriam. Intellego potentiam illam non exsuperabilem, per quam rex ille gentium poterat omnia sibi subjicere, Phil. III. 21. adeoque & gentes, sibi & regno suo inimicas debellare & subigere, atque ita judicium (quod, sicut amabat, ita certo exsequuturus erat, & si illud aliquandiu intermitteret. Eccles. VIII. 11.) in eas exercere.

B. Opus ejus rectum & justum. *Tu constabilivisti rectitudinem. Justitiam & judicium in Jacobo tu fecisti.* Rex ille ostendit se robur habere & judicium amare, cum Judæos rebelles excidio plexit, in aliorum exemplum. Quo ipso constabilivit rectitudinem, h. e. lege, jam, unâ cum Hierosolyma & templo, è medio sublata, hoc effecit, ut ne amplius legis cum Evangelio mixturâ viâ Dei rectæ pervertentur, Act. XIII. 10. sed ut Evangelium recte & sincere cumque efficaciam prædicaretur. Conf. Gal. II. 14. Heb. XII. 13. Vox מִשְׁפָּטִים *rectitudines* de eloquiis oris, etiam Dei vel Christi, usurpatur. Prov. VIII. 6. XXIII. 16. Quamvis heic quoque de judicii rectitudine possit accipi; quandoquidem in Judæis norma recti judicii constituta est, secundum quam judicandi erant & reliqui hostes, Rom.

III. 5. 6. sicut olim in Sodomitis. Gen XVIII. 25. seqq. Idem *justitiam & judicium fecit in Jacobo*, cum Christianos oppressos virtute justitiæ suæ à persecutoribus liberavit, his juste judicatis, vel, ut est 2. Thess. I. 6. 7. cum afflictiis dedit relaxationem, reddidit affligentibus afflictione. Quod Ecclesia hic grato animo profitetur, Per *Jacobum* enim intelligo Ecclesiam afflictam & adhuc luctantem ac nondum victricem, qualis illa per ipsam afflictionum tolerantiam evasit Rom. VIII. 37. tempore Constantini M. propterea nomine *Israëlis* insignienda. Hol. XII. 5. 1

§. 7. C. Excitatio ad exaltationem & adorationem Jehovæ. v. 5. *Exaltate Jehovah Deum nostrum, adorete ad scabellum pedum ejus: Sanctum illud, vel Sanctus ille est.* Hæc refero ad resurrectionem, seu conversionem gentium, primam, (Apoc. XX. 5.) quæ victoriam Ecclesiæ, tempore Constantini M. de hostibus relatam, deinceps insequuta est, cum multæ gentes, victoriâ illâ Christianorum, ceu elatâ voce, excitatæ, altitudinem Jehovæ Dei, ac regis Ecclesiæ agnoverunt, ipsumque adorarunt, secundum illud Psalm. XCV. 6. *Venite adoremus & incurvemus, & genua flectamus, coram Jehova factore nostro, Christo.* Cui v. 9. respondet altera gentium conversio. Sed quid quod gentes hic adorare jubentur *ad scabellum pedum Christi*, quia il-
 l, Fascicul, M lud

lud Sanctum est? Respondeo, alludi hic ad
 operculum arcæ fœderis, quod Jehovæ inter
 Cherubinos, tanquam in throno suo, seden-
 ti, pro scabello pedum erat, dictum כַּפֹּת הַכְּרוּבִים
ἱλαστήριον propitiatorium. Quo significabatur
 ipse Christus, quatenus ille per mortem
 suam futurus erat ἱλασμός *propitiatio* pro pec-
 catis totius mundi, 1. Joh. II. 2. atque ita
 mundum cum Deo reconciliaturus 2. Cor. V.
 19. Hoc propitiatorium (hæc propitiatio,
 quæ fundamentum ac basis erat throni gra-
 tiæ inter gentes erecti, Ps. LXXXIX. 15, coll.
 Heb. IV. 16.) jam in regno cœlorum genti-
 buserat propositum per Evangelium, Rom.
 III. 25. ejusque virtute Ecclesia jam victori-
 am de hostibus obtinuerat, his pedibus Chri-
 sti subiectis. Jubentur itaque gentes Jeho-
 vam Christum, adorare intuitu hujus gratiæ,
 Ecclesiæ victrici exhibitæ, & iræ in hostes
 devictos egestæ, quâ ille sanctitatem suam
 demonstraverat. Quamquam per *scabellum*
pedum etiam hic, perinde ut Ps. CX. 1. in-
 telligi queant hostes, pedibus Christi subje-
 cti, veluti Draco, coactus potestatem suam
 dare Bestiæ, Imperatores Romani, coacti ce-
 dere veritati, & gentes, coactæ Christo men-
 tiri. Quo intuitu Jehova etiam erat adoran-
 dus, propter robur illud & judicium, quo
 se sanctum ostenderat, illis pedibus suis sup-
 positis. Quod si verba כַּפֹּת הַכְּרוּבִים cum LXX.
 Junio, & Belgis, interpretemur, ἀγιὸς ἐστὶ,
 san-

sanctus est, hy is heylig, erit hæc quasi acclamatio Seraphinorum, Filio Dei facta, cujus est judicium, Joh. V. 21. & veritas, seu impletio promissionum Patris. 2. Cor. I. 20.

§. 8. III. Pars tertia habet intercessores Ecclesiæ, intercessionum eorum efficacem, & iteratam excitationem ad adorandum Jehovaham.

A. De intercessoribus Ecclesiæ ait Psalter v. 6. *Moses & Aaron inter Sacerdotes ejus, & Samuel inter invocantes nomen ejus.* Introducuntur hic, inter alios innominatos, 1. *Moses & Aaron*, non typici, sed mystici, eo tempore, cum jam multe gentes celsitudinem Jehovahæ Dei Ecclesiæ agnoscentes, eum adorabant ad scabellum pedum ejus, h. e. divinum ei honorem exhibebant, seu verè, eo quod thronum gratiæ ejus, in propitiatione Christi fundatum, inter gentes erectum cernerent, seu mendaciter, eo quod hostes illos pedibus ejus suppositos viderent, cumque Ecclesia, his zizaniis oppressa, jam in servitutem spiritualis Ægypti erat redacta, ad Deum appropinquantes, & pro populo ejus intercedentes, adeoque eum implorantes ut verum Israël, ipsorum ductu, ex servitute illa in libertatem assereret.

כהנים *Cohanim* proprie sunt קרובים *eyyl-*
 zovtes, qui, præ aliis & aliorum nomine,
 accedunt, appropinquant ad regem. Quomodo

do filii Davidis erant *cobanim*, 2. Sam. VIII. 18. h. e. uti explicatur 1. Chron. XVIII. 17. *primi juxta regem*, πρῶτοι ἀγείδοχοι, proximi regi & intimæ admissiois amici. Ita hic הכהנים *Sacerdotes* sunt יהוה אל יורו *qui accedunt ad Jehovam*, Exod. XIX. 22. & pro populo Dei intercedunt. 2. Samuel, itidem mysticus, h. e. illi qui eo tempore quo, sicut olim arca fœderis à Philistæis in prælio capta & in æde Dagonis collocata fuerat, ita nunc in bello, quod Bestia cum Sanctis gerebat, his devictis, veritas Evangelii quasi in captivitatem abducta, & mendacio Antichristi servire coacta erat, Deum præ aliis invocabant, eumque fervidis precibus obsecrabant, ut veritas, ab illis dimissa, & ad Israëlem relata, cum gaudio reciperetur. Quales sub Papatu erant viri pii & prudentes, cum in politia tum in Ecclesia, qui sicut ex prophetiis animadvertebant monarchiam Papalem non esse regnum Christi, sed regnum Antichristi, Ægyptum spiritualem, è cuius servitute asserendus erat populus Dei, fœdere cum eo junctus, beneficio sacrificii Christi piacularis, per veram fidem amplectendi eique offerendi, Ps. L. s. antequam promissio regni Dei posset adimpleri, ita ad educationem populi istius ex illa domo servitutis suis consiliis suâque doctrinâ se omni studio comparabant: quique, sicut ex eisdem prophetiis animadvertebant multitudinem

San.

Sanctos vincentem, non esse populum Dei, sed hostes ejus infestos, Philistæos incircumcisos, qui veritatem Dei captivam tenebant, & mendacio Antichristi subjiciebant, ita enixis & assiduis precibus à Deo expetebant (v. 1. Sam. VII. 8. 9. XII. 19. 23.) ut Ecclesia veritatem, ab illis abdicatam, recuperaret incolumem, credentes quippe & confitentes Deum exaudire preces. conf. d. 1. Sam. VII. 9.

§. 9. B. Intercessionem eorum efficacem exponit Psalter v. 6. p. ult. 7. & 8. *Invocabant Jehovah & ipse respondebat eis. In columna nubis loquebatur ad ipsos: observarunt testimonia ejus, statutum quod dederat ipsis Jehova Deus noster, tu respondisti eis. Deus condonans fuisti eis, & ulciscens mala opera illorum.* Refero hæc ad reformationem, quæ fieri non poterat nisi intercederent tum fides fœderis Dei, cum homine peccatore pacti, & sacrificii expiatorii, sine quo ille fœdus cum peccatore jungere non poterat, tum preces fidei flagrantes. Ad utrumque hæc respicitur. Ad preces fidei in verbis. *Invocabant Jehovah, & ipse respondebat eis:* atque iterum in verbis, *Deus noster, tu respondisti eis.* Ad ipsam fidem in verbis intermediis: *In columna nubis.* Hic itaque de duplici exauditione, seu responsione Dei sermo est. Quarum prima respondet ἐξόδῳ exitui Israelis ex Ægypto & deductioni ejus per desertum: altera introdu-

Etioni ejusdem in terram Canaan. Et utri-
que sua subjunguntur confectaria, eodem
spectantia. De singulis videamus.

§, 10. N. Prior responsio Dei. *Invocabant
Jehovam & ipse respondebat eis.* Hæc ad Mo-
sen & Aaronem spectant (uti ex sequenti co-
lo liquet) quibus Jehovam inclamantibus,
ipse, eos exaudiens, Israelitas sospites & se-
curos ex Ægypto eduxit, submersis in mari
rubro persecutoribus eorum Ægyptiis. vide
Exod. 14: 8. Pari modo Jehova, illucescen-
te reformatione, veritatis patronis, ipsum
invocantibus, respondit, cum Waldenses &
Albigenses per mare rubrum sanguinolent-
arum persecutionum è servitute Anti-
christi in libertatem regni Dei, tanquam è
morte in vitam, traduxit, ipsâ persecutione
persecutores ut internecinos veritatis ho-
stes, damnante, & sanguine martyrum vin-
dictam de eis efflagitante. Apoc. 6: 10.

2. Confectaria ejus. *In columna nubis lo-
quebatur ad ipsos: observarunt testimonia ejus,
statutum quod dederat eis.* Hic prius colon re-
fero ad Mozen & Aaronem, posterius ad Is-
raelem. Huic enim, è servitute Ægypti re-
demto, ipse Jehova se viæ ducem & aucto-
rem consilii ac legislatorem exhibuit: nec
minus populo suo è servitute spiritualis Æ-
gypti asserto. *Per columnam nubis heic, intelli-*

go nubem, h. e. multitudinem, testium veritatis, jam ex Ægypto spirituali exeuntem, & in mundo infrugifero, quasi in deserto, errantem, nempe multitudinem Waldensium, Wiclefitarum & Husfitarum, errores Antichristi respuentium & evangelium æternum prædicantium. Cui nubi præsto erat Jehova, Matt. 18: 20. ex ealloquens, conf. Matt. 17: 5. & quidem primum ad ipsos doctores (quomodo v. 9. ex nube 144. millium loquutus est ad Waldum, ex nube Waldensium ad Wiclefum, ex nube Wiclefitarum ad Hussum & ex nube Husfitarum ad Lutherum & Zwinglium) deinde per eos ad Israelem Dei. Qui Israel heic eo nomine laudatur, quod *observarint testimonia Jehova, statutum quod dederat ipsis. q. d. quod Mosi & Aaroni, h. e. doctoribus veritatis, hoc quod à Jehova acceperant tradentibus, dicto fuerint audientes. Per testimonia enim intelligi potest scriptura S. quatenus ea testatur, & viri pii ex ea testabantur, de fœdere, seu amicitia, quæ intercedit inter Deum & peccatorem, & de sacrificio Christi cujus interven- tu fœdus illud iectum est, Pl. 50. v. 5. per statutum eadem scriptura, quatenus ea statuit, & viri pii ex eâ constituebant & confirma- bant, fœdus hoc amicitiz inter Deum & peccatorem intercedere non posse nisi hic sacrificium illud vera fide amplectatur, hujus- que fidei cum afflictionum tolerantiam ope-*

ribus charitatis fidem faciat. Quæ proinde testimonia & quod statutum *observarunt* veri illi Israelitæ per fidem, quæ per charitatem operaretur.

§. II. 3. Posterior responsio Dei. *Deus noster tu respondisti eis.* Refero hoc ad deprecatores, cum Samuele junctos v. 6. ipsumque inprimis Samuelem, qui nomen habebat ab *exauditione Dei*, 1. Sam. 1: 20. & quo inclamante Jehovam pro Israele, Jehova, ipsum exaudiens, salvabat Israellem à Philisthæis eum invadentibus, dando illis præclaram de his victoriam, quæ erat quasi Eben Hezer lapis adjumenti. 1. Sam. 7: 9. seqq. Quomodo etiam tempore reformationis, inclamante Jehovam Samuele mystico (piis deprecatoribus) eoque exaudiente, salvata est Ecclesia à Pontificiis eam infestantibus, insignem victoriam & tandem pacem religionis nacta. Quæ erat quasi præstiti monumentum auxilii, & quasi introductio in promissam Cananæ quietem, in libertatem regni Dei.

7. Consectaria ejus. *Deus condonans fuisti eis & ulciscens mala opera illorum duxisti eos.* Non enim putem hæc esse referenda ad Mosen & Aaronem, neque ad Samuelem, quorum illos Deus ob suum peccatum plexerit, cum illos exclusit ex terra Canaan, hunc ab officio

cio rectoris populi removerit ob peccata filiorum. Siquidem in hoc Psalmo, ubi gentes excitantur & invitantur ad exaltandum Jehovam eumque adorandum, propter beneficia in populum suum collata & judicia in hostes exercita, usu non venit ultio ejus sumpta de sanctissimis populi sui antistitibus. Itaque prius membrum applico ad Israelitas, quos Jehova non adspiciens perversitatem in Israele, Num. 23: 21. introducebat in hæreditatem patribus promissam: posterius ad Cananæos, quos propter opera sua mala anathemati devoverat, & ex terra sua extirpatos volebat. Quemadmodum etiam tempore reformationis, facta *longinquorum & propinquorum* (Jes. 57: 19.) Pontificiorum & Protestantium separatione, his precantibus. *Remitte nobis debita nostra*, Matt. 6: 12. peccata sua condonavit, eis, cum virginibus quinque prudentibus, in regnum suum introductis; at illorum *לילית עטירת אמהל סאכורא* *facinorosa* ultus est, eis, cum virginibus 5. fatuis ostio, quod apertum erat per reformationem, Apoc. 3: 5. per anathematismos Concilii Tridentini in perpetuum clauso, introitu prohibitis ac foris stare jusfis. Matt. 25: 10. Luc. 13: 25.

§. 12. C. Excitatio iterata ad adorandum Jehovam subjicitur v. 9. *Exaltate Jehovam Deum nostrum, & adorare eum ad mon-*

tem sanctum ejus, quia sanctus est Jehova Deus noster. Hæc pertinent revera ad resurrectionem, seu conversionem gentium secundam (A. poc. 20: 12.) primæ, quæ facta est tempore Constantini M. ac deinceps, qua de v. 5. respondentem: ita tamen ut, quod tunc inchoatum quidem, sed per supervenientem apostasiam abruptum est, heic, apostasiâ illâ è medio sublatâ pessundatoque Antichristo, consummatum indicetur. Propterea enim hic, pro adoratione ad scabellum pedum Jehovæ, supponitur adoratio ad montem sanctum ejus, fundamento throni ejus, quod tunc jactum est, in regnum Dei integrum converso. Quod monti sancto comparatur. Dan. 2: 35. Ps. 2: 6. 2. Petr. 1: 15. Quo tempore Deus *ἑ φεραυύμας* demonstrabit Jehovam Deum populi sui; adimpletis quippe omnibus suis promissis, & vitâ, ei promissa quidem at in Deo hæctenus absconditâ, unâ cum Christo, se ut regem regum & dominum dominorum revelante, manifestatâ: adeoque & sanctum; quippe gloriâ suâ, quam unicè jamabat ad summum culmen perducta. Ut Seraphim tunc jure meritissimo sint acclamaturi, Sanctus Jehova Deus noster, Spiritus S. videlicet, sanctitati Patris & Filii colophonem addens.

VIII.

CLEMENS ALEXANDRINUS,

*A nonnullis pro Antiquitate Puncto-
rum & Accentuum Hebraicorum in testimonium
vocatus, de iis ne vel per somnium cogitasse
demonstratur.*

Puncta, quibus Hebræorum magi-
stri literarum vocalium vice utun-
tur, atque Accentus varii, quibus
iidem & orationem distinguere
& vocem modulari docent, an
Adamo, Mofi, aut Efdæ, an vero Talmu-
dicis Doctoribus, aut qui eos secuti sunt,
Masorethis Tiberiensibus suos debeant nata-
les, celebris est inter eruditos quæstio. Non
nostrum est, tantas componere lites. Multa
in utramque sententiam afferuntur, quæ se
insigni veritatis commendant specie. Quam-
cunque sententiam elegeris, de religionis
nostræ summa haud disceptari, fatentur cor-
dati ferme omnes. Candide tamen hic a-
gendum & ingenue. Veritas fictis haud in-
diget argumentis, quibus e contrario suspe-
cta redditur non immerito.

Qui pro Antiquitate harum notarum pu-
gnant inter alia Clementis Alexandrini nitun-
tur, testimonio, qui disertam & punctorum
&

& accentuum mentionem injiciat *Strom. Lib. III. cap. 4. pag. Edit. Oxon: Potter. 529.* Tanti fecit hunc testem *Celeb. van Til*, ut tanquam eximium vulgatis argumentis allaturus robur, illum in *Compendio Theologiae revelatae* appellare haud dubitaverit. Quo magis hoc compendium concinno se commendat ordine, quove diligentius & Doctorum & Studiosorum manibus in Academiis teritur, eo major opera danda est, ne quis infirmo hoc tibicine nixus, decipiatur. Προσφθίας & σιγμας memorat Clemens fateor. Has voces interdum apud Græcos sequioris ævi accentus atque puncta significare in confesso est. Hic vero longe aliam rem a Clemente indicari, paucis declarabo.

Ita autem inquit Doctor Alexandrinus: ΟΥΤΟΙ ΕΙΣΙΝ, (de Antitactis loquens) οἱ κατὰ τὴν ἀναγνώσιν, φωνῆς τῶν διασφουτῶν τὰς γραφὰς πρὸς τὰς ἰδίας ἡδονὰς. Καὶ τινῶν προσφθίων καὶ σιγμῶν μεταθεσί, τὰ παραγγελλόμενα σωφρονῶν τε καὶ συμφερόντας, βιάζομενοι πρὸς ἡδύπαθειαν τὰς ἐχούτων. Quæ vertit *Hervetus*: *Si sunt qui inter legendum tono vocis pervertunt Scripturas ad proprias voluptates, & quorundam accentuum & punctorum transpositione, quæ prudenter & utiliter præcepta sunt, ad suas trahunt delicias.*

Nihil hic Clementem de Accentibus vel
Pun-

Punctis Hebræorum cogitasse, æque lectori facile persuadebo, quisquis defœcata mente sequentia ponderabit.

(1) Nemini dubium esse potest, quin Clemens, προσῳδίων καὶ σιγμῶν μεταθεσὶν Antitactis tribuens, ad exempla hujus perversionis scripturarum respiciat, quæ in præcedentibus adduxerat. Hæc omnia, quotquot Libro 3. Strom. ab ipso in medium adferuntur, lectoris exponam oculis, ut inde iudicium ferat.

Basilidianis tribuit, quod dictum Apostoli I. Cor. 7: 9. Κρείσσον ἐστὶ γαμῆσαι ἢ πυρᾶσθαι. *Melius est nubere quam uri*, ita interpretentur: *Ne animam tuam in ignem injicias, noctu ἔντερδιου resistens, ἔτιμὲν timens ne incontinentia excidas.* p. 509.

Carpocratem & Epiphanem verba Apostoli Rom. 7: 7. Δικὸν νόμον τὴν ἀμαρτίαν εἶναι Per legem peccatum cognovi ita pervertisse ait, ut per legem communionem bonorum, etiam uxorum sublatam fuisse quærat p. 513.

Marcionem Ponticum narrat Servatoris dicto Matth. 8: 22. & Luc. 9: 60. Ἀφεὶς τῶν νεκρῶν θάψαι τῶς ἐαυτῶν νεκρῶς *Sine mortuos sepelire mortuos suos, probare voluisse, illicitum esse rerum mundanarum usum* p. 522.

Carpocratem etiam eo impudentiæ proces-
sisse ait, ut verbis Jesu Christi Matth. 5:42.
Luc. 6:30. παντι τω αιτησι σε διδω Da omni
a te petenti mulierculis persuadere voluerit
ne cui noctem oranti recusent. p. 523.

Prodici asseclas, nulla lege se teneri causa-
tos ait, quod domini sabbati, regiumque genus
essent,

Ultimum εραβλωσεως exemplum, quod
querelam de προσωδιων & σιγμων transposi-
tione proxime præcedit, *Antitactas* adfert,
qui ex eo, quod apud Malachiam cap. 3. c.
15. legitur Αντιστησαν Θεω, και εσωθησαν Deo
resisterunt & salvi facti sunt, conjecerint Δη-
μιουργω resistendum esse: Imo addiderint τω
ανειδει impudenti Deo.

Hinc vero, postquam Malachiæ dictum
ab hac contorsione vindicasset, atque osten-
disset his verbis non Dei consilium, sed po-
puli ægre castigationes ferentis murmura-
tiones exponi, idque ex Jerem. 12: 1. illu-
strasset, vehementer in hos scripturarum per-
versiores invehitur; iis applicans Pauli Apo-
stoli verba Rom. 3: 8. και μη καθως βλασφη-
μημεθα, και καθως φασι τινες ημας λεγειν, οτι,
ποιησωμεν τα καλα, ινα ελθη τα αναθα, εν το
πριμα ενδικον εσιν. Atque his immediate sub-
jungit querelam, ex qua Antiquitatem Fun-
ctorum & Accentuum ostendere conatur Til-
lius:

lius: ἵνατοι εἰσιν οἱ καὶ αὐτὴν ἀναγνώσιν κ. 7. λ.

(2) Si itaque in hac querela de μεταθεσει προσωδιων και σιγμων, punctorum vocalium atque accentuum mutationem respiceret, in aliquibus saltem eorum quæ attulit exemplorum illa mutatio comparere deberet. Jam vero, si omnia ista exempla examinemus, nullum erit, in quo punctorum aut accentuum Hebraicorum mutatio hæreticis imputari possit, præter ultimum ex *Malachia* adductum. Priora enim omnia, cum ex *Novo Testamento* adferantur, quod non Hebræo sed Græco sermone conscriptum est, Accentus vel Puncta in *Veteri Testamento* Clementis tempore reperia fuisse minime probant.

(3) Sed demus, Clementem tantum σεβλωσιν verborum *Malachiz* hic notare (quod ex eo fit probabile quod post exprobratam Antitactis προσωδιων & σιγμων μεταθεσιν, statim ex eodem Propheta eos incuset quod *Deum sermonibus suis irritaverint Mal. 3: 15.*) Nulla tamen nec vel minima, mutationis accentuum aut vocalium, in hoc exemplo allato apparebit umbra. Verba *Malachiz* in Hebræo sunt בָּחֲנוּ אֱלֹהִים וַיִּמְלֹטוּ quæ ex Alexandrina tamen versione adducit Clemens: Ἀντεσησαν Θεω και εσωθησαν. Mutetlector & transponat accentus atque puncta vocalia, nunquam exinde extundet sensum, quem Antitactæ his verbis affinxere: in

in tenebris versabitur, nec mentem Clementis assequetur, quisquis per *στυμας* puncta vocalia & per *προσῳδίας* accentuum apices intelligit.

(4) Omnia autem plana erunt, si exclusa apicum & vocalium significatione, vocabula ista sensu antiquis longe vulgatiore & notissimo sumamus. Prisci Græci accentuum apices ignorantes (quod post *Isaacum Vossium*, *Henr. Chr. Henninius*, *Hellenismo* 'Ο γδ οδ ο & *Joh. Dan. Major*, de numis Græce inscriptis, extra omnem dubitationis aleam (a) posuere) tonos & moderamenta vocum, uti *Gellius* eos appellat *N. A. XIII. 6.* nominabant *προσῳδίας*. *Στυμας* vero *interpunctiones* seu *distinctiones* vocabant, de quibus *Nicanor Grammaticus Alexandrinus*, qui temporibus *Hadriani* vixit, integrum conscripsit librum, unde per jocum *στυματίας* dici meruit, διότι
επιπ.

(a) Unde satis mirari non possumus illam voces Græcas accentibus suis onerandi consuetudinem tam diu inter eruditos in hunc usque diem viguisse. Neque enim illa solum à more veterum profus abhorret, & saeculis debetur ad barbariem jam inclinantibus, sed & tantum abest, ut aliquid conjunctum habeat utilitatis, ut e contrario non parum habeat incommodi, cum ita puerorum Græce discantium animis vanis apicum ideis impleantur, quin & ad perversam Græcarum vocum pronuntiationem atque proloquium facile inducantur. Sed & huic rei dies afferet medelam. T. d. H.

επολυλογητε περι σιγμων, ut ait *Eustatius* ad *Ho-*
mer. vid. & *Suidam.* Si de his σιγμασι & προ-
 σωδισι *Clementem* loqui supponimus, facile
 colligitur, quomodo *Antitaeta* per inter-
 punctionis & toni mutationem *Malachiae*
 verbis alium sensum affinxerint: Si enim
 interpunctione ante hanc sententiam collo-
 cata, a praecedentibus verbis hoc dictum di-
 vellatur, fumus lectori vendi potest, quasi
 haec verba sint βελη παρηγγελμενη, cum ta-
 men in persona impiorum proferantur. At-
 que cum hac interpunctionis variatione to-
 nus ac emphasis quoque vocum in legendo
 aliquantulum necessario mutatur, quo magis
 incauto lectori possit imponi.

(5) Hanc fuisse *Clementi* mentem, porro
 ex eo probatur, non tantum, quod iisdem *An-*
titaetis in praecedentibus tribuat εκ τινων προ-
 φητικων περικοπων λεξεις απανθισαοθαι και συμα-
 τωσσειν κακως ex quibusdam prophetarum perico-
 pis voces decerpere & male consuere: cujus frau-
 dis exemplum statim in dictis *Malachiae* ad-
 fert: sed etiam quod eos φωνη τονω διαστει-
 φειν τας γεφας sono vocis pervertere scripturas
 dicat, quo fiebat ut emphasis vocum seu προ-
 σωδισιν in legendo καλα την αναγνωσιν mutarent,
 & σιγμασι transponderent. Hoc vero si inten-
 dit *Clemens*, uti cordato lectori dubium es-
 se nequit, hoc sane loco neque per somnium
 de punctis vocalibus aut accentibus *He-*
brorum cogitasse putandus est; neque a-

deo ex eo ullum pro antiquitate horum apic-
cum argumentum desumi potest. Q. E. D.



IX.

CATALOGUS,

Omniū Verbi divini Ministrorum
Religionis Reformatæ nunc [a] de-
functorum, qui inde à tempore Re-
formationis anno sc. 1578. ad præsentem
usque ætatem Amstelodami publice
docuerunt.

I.

In Ecclesiis BELGICIS.

1578. 1 **J**ohannes KUGLINUS, venit Embdâ, factus
1596. Regens Collegii Lugdunensis, quo
in loco a. 1606. mortuus est.
- 2 Petrus HARDENBERGIUS, venit
Embdâ, 1585. Amstelodamo vocatus Zvollandam.
1580. 3 Martinus LIDIUS, venit Antvverpiâ, 1585.
factus SS. Theol. Professor Franquerae, quo
in loco 1600. mortuus est.
- 4 Joannes Nicolai à WASSENAER, venit ex
Weydancia eodem anno m. d. 28. Octobris.

5 Hil-

(a) Catalogum eorum, qui etiamnum superstites sunt,
quosque Deus diu superstites esse jubeat, speramus
tibi mox plenius additis scriptorum editorum indici-
bus à nobis exhiberi posse.

5. Hildebrandus CUNEUS, venit Hoogh-Caspela,
1583. rude donatus.
- 6 Joannes AMBROSIUS, venit Sybe-Caspela 1599.
d. 16. Octobris M.
1581. 7 Joannes HALLIUS, venit Lugduno, 1619.
d. 2. Octobris M.
1583. 8 Everardus HERMANNI, Amstelodamensis, ve-
nit Maeslandia, primus in Amstelodamensi
Xenodochio docuit. a. 1589. M.
1585. 9 Petrus PLANCIUS V. D, Minister, primum Brus-
xellis, postea captâ à Principe Parmensi urbe
ista, Amstelodamum accersitus, obiit 1622. d.
25. Maji.
1588. 10 Jacobus ARMINIUS, Candidatus Ministerii
cum esset; vocatus Amstelodamum, & factus
1603. Professor S. S. Theolog. Leidæ ubi obiit
1609. d. 19. Octobr. sectæ Arminianorum no-
men dedit.
1590. 11 Joannes HALCBERGIUS Candidatus Mini-
sterii, huc vocatus in Xenodochium. In re-
liquis templis docere cœpit a. 1599. & a. 1600.
M.
1599. 12 Lucas AMBROSIUS venit Muydâ, primum
in Xenodochio & ab a. 1610. in Templis reliquis
docuit. a. 1628. M.
1600. 13 Johannes URSINUS venit Ultrajecto, a. 1620.
M.
1601. 14 Joannes la MAIRE, Candidatus Ministerii, huc
vocatus, sed a. 1642. d. 4. Junii M.
1602. 15 Warnerus HELMICHIIUS venit Delphis sed a.
1608. M.
1603. 16 Jacobus ROELANDUS venit Francodaliâ,
Assessorisque munere a. 1618. in Synodo Na-
tionali Dordracenâ functus, posteaque Lugdu-
num B. cum aliis ad sacra Biblia in Vernaculam
transferenda ablegatus. ibi 1632. obiit.

1608. 17 Casparus HEIDANUS venit Francodaliâ,
1626. d. 14. Jan. M.
1610. 18 Joannes Cornelius SILVIUS, Amstelodamen-
sis, Slotâ primum in Xenodochium vocatus, sed
a. ab 1622. in Templis docuit 1638. d. 19. No-
vembr. M.
- 19 Jacobus TRIGLANDIUS venit è loco Stokck-
vvyck dicto, factus 1634. Professor SS. Theol.
log. in Lugd. Academia. ubi 1654. d. 11. A-
pril. M.
1612. 20 Rudolphus PETRI, Amstelodamensis, venit
è Saerdam, 1649. d. 4. Junii m.
21. Gofuinus GELDORPIUS venit Sneckâ 1617. d.
21. August. m.
1610. 22 Adrianus SMOITIUS venit è loco dicto O-
vermaes, 1630. d. 7. Jan. urbe egressus Rotero-
dama 1646. M.
- 23 Otto BADIUS venit è Kuchelhoven & Love-
nigh. locis Ducatus Juliacensis, factus est pri-
mus Ecclesiae Germanicae, quae Amstelodami
floret. Pastor, translatusque 1626. ad Eccle-
siam Belgicam; obiit 1664. d. 8. Maji.
1621. 24 Joannes CLOPPENBURG, Amstelodamensis,
vocatus Heusdenâ, a. 1630. factus est Brijelae V.
D. Minister, & 1640. SS. Theol. Professor in
Academia Harderovicena, postea 1644.
in Franekerana, ubi 1652. M. Opera ejus duo-
bus Voll. in 4. edita, nota sunt.
- 25 Jacobus LAURENTIUS, Amstelodamensis ve-
nit Nardis 1644. d. 19. Martii M. magnus scri-
ptorum ejus numerus exstat.
- 26 Eleasar SWALMIUS venit Schiedamiâ, 1652.
d. 4. Junii. M.
1612. 27 Antonius PLANCIUS accersitus huc ex Oester-
hout. in Xenodochium, obiit d. 29. Febr. d.
1629.

1623. 28 Petrus WACHTENDORP venit è Linnig
terræ Juliacenſis, 1652. d. 3. Nov. M.
1625. 29 Cornelius HANEKOPIUS fuit Miniſter V. D.
Bredæ, unde urbe à Spinola in poteſtatem re-
daçta, m. Julio huc translatus & a munere ſuo
a. 1626. m. Novembr. dimiſſus, 1655. d. 15.
Julii M.
- 30 Petrus PULLEUS venit Amſteveenâ huc in
Xenodochium, 1629. M.
1626. 31 Fredricus KESSLERUS venit Stolbergâ Eccle-
ſiæ Germanicæ præfectus, 1636. abiit in Bra-
ſiliam, Americæ Meridionalis regionem, unde
reduç factus, vocatusque 1634. ad Eccleſiam
Belgicam obiit 1650. d. 15. Sept. 43
1628. 32 Henricus GELDORPIUS venit Leovvardiâ
1652. d. 6. Octobr. M.
1630. 33 Joannes de MOURCOURT, Amſtelodamenſis,
venit è loco dicto Weeſp huc in Xenodochium
1667. d. 16. Auguſti ob ſenectutem & morbos
rude donatus eſt
1632. 34 Petrus CLASENIUS venit Domburgo, Se-
landiæ oppidulo, obiit 1636. d. 3. Decemb.
1633. 35 Anthonius HARINGHOEK venit Amersfor-
diâ 1636. d. 25. Febr. M.
1634. 36 Lucas TRELCAIUS è Gallica Eccleſia in Bel-
gicam translatus, obiit 1638. d. 28. Ap.
- 37 Wilhelmus SOMERUS venit Alcmariâ, 1649.
d. 30. Sept. m.
1636. 38 Jacobus HOLLEBEKIUS venit Amersfordiâ
m. 1649. d. 30. Novemb.
1638. 39 Petrus WITTEWRONGEL venit è Sierick-
ſec, ordinatus d. 31. Julii, obiit 1662. d. 7.
Dec. Nota ejus eſt *Oeconomia Chriſtiana.*
1639. 40 Joannes RULITIUS ex Anglicana, quæ Amſte-
lodami eſt, in Germanicam translatus Eccle-
ſiam, vocatus eſt 1652. Heidelbergam, unde

- rediit Amstelodamum 1655, factus V. D. M.
Ecclesiae Belgicae, inauguratus, d. 16. Maji.
Postea vero summis precibus flagitatus, secun-
da vice ad Ecclesiam rediit Germanicam a,
1666. d. 7. Aug. quo ipso etiam anno obiit.
1640. 41 Henricus RULEUS venit è Weesp ordinatus
d. 25. Maj. 1680. d. 22. Octobr.
1642. 42 Petrus LEUPENIUS venit è loco Hattem dicto,
ordinatus d. 30. Jan. obiit 15. Jan. 1670.
1645. 43 Wilhelmus SCHOTANUS venit Sneeca Frie-
siorum ord. d. 20. Julii. Emeritus propter se-
nectutis incommoda ab anno 1664. m. Mart.
obiit 1666. d. 15. Decembr.
1646. 44 Cornelius COSSIUS venit Purmerendâ, ord.
d. 13. April. a. 1661. d. 22. Febr. M.
1647. 45 Hermannus LANGELIUS venit Roteroda-
mo. ord. d. 16. August. obiit 1666. d. 10.
Septembr.
1649. 46 Joannes HEIDANUS, venit Roterodamo, d. 28.
Nov. ord. & 1670. d. 14. Jun. M.
1650. 47 David ROTHEUS, Amstelodamensis, tanquam
Candidatus Ministerii huc vocatus & ordin.
d. 10. Apr. obiit 1605. d. 6. Aug.
- 48 Casparus de CARPENTIER, venit Amersfordia
ord. d. 17. Apr. obiit 1667. d. 12. Maj.
1651. 49 Abrahamus ROEHOF, Amstelodamensis venit
Ipendamiâ ord. d. 7. Maji M. d. 7. Febr. 1682.
- 50 Petrus PROELIUS, venit Goudâ, ord. d. 7. Maji
d. 19. Aug. 1661. M.
- 51 Samuel Coop à GROEN, venit è loco Wertsfa-
nen dicto d. 12. Nov. ord. obiit d. 21. Jan. 1686.
1652. 52 Carolus SCHULERUS, venit Steinbergâ ord.
d. 7. Jul M. d. 17. Apr. 1670.
- 53 Petrus GRIBIUS, venit ex Anglicanâ Ecclesia,
quae Middelburgi floret, in Germanicam Am-
ste

- Amstelodamensem, ord. d. 10. Nov. a. 1666. d. 27
Mart. M.
- 54 Menso JOANNES venit Zvolla, ord. 8. Dec.
M. 1664. d. 24. Maj.
1653. 55 Joannes de GAVAREL, Amstelodamensis, ve-
nit Harderovico, ord. d. 5. Jan. obiit d. 4.
Martii ejusd. anni nulla adhuc ob morbum
Ecclesiae opera praestita.
- 56 Robertus JUNIUS venit Delphis ord. d. 9.
Febr. 1655. d. 28. Aug. M.
- 57 Otto BELGAMPIUS venit Daventriâ ord. d. 20.
April. obiit d. 11 Julii. 1685.
- 1654 58 Abraham de ROY venit Zutphaniâ ord. d.
15. Mart. 1680. d. 21. Apr. M.
1656. 59 Jacobus CLERCQUIUS venit Harlemo, ord.
d. 20. Febr. obiit 1686. d. 12. Novembr.
60. Andreas LANSMAN, Amstelodamensis ve-
nit Leidâ, ord. d. 5. Martii, 1666. d. 12. Sept.
M.
- 61 Lucas VINCKIUS, venit Alomariâ, ord. d. 7.
Maji obiit d. 19. April. 1671.
1660. 62 Laurens LAURENTIUS Amstelodamensis, ve-
nit Dordraco, ordin. d. 18. Jan. & d. 28. Jan.
1672. M.
- 63 Joannes NIEWENHUSIUS venit Noviomago
ord. d. 21. Martii, M. 1681. d. 12. Jan.
1661. 64 Isaacus le MAIRE, Amstelodamensis, venit
Roterodamo, ordin. d. 3. Apr. obiit d. 6. Maji
1692.
- 65 Jacobus TRIGLANDIUS, venit Harlemo, ord.
d. 17. Julii, 8. Novembr. 1664. M.
- 66 Laurentius HOMMA Amstelodamensis, venit
Enchusiâ, ordinat. d. 18. Desembr. obiit 1681.
d. 4. Jan.
1662. 67 Joannes VISSCHERUS venit Zutphaniâ, ord.
d. 1. Oct. mort. 22. April 1694. Hic ille est, cu-
jus

Jus egregia & ad praxin Christianismi apprime
facientia scripta bis aliquot in folio Volumini-
bus edita exstant.

1663. 68 Gerardus HAVICIUS, venit Lugduno ordin.
d. 10. Junii, Emeritus ab a. 1698. d. 25. Julii,
obiit d. 15. Maji. 1699.
1664. 69 Cornelius LYCOCHTON, venit Roteroda-
mo ord. d. 2. Martii obiit d. 29. Junii 1685.
1665. 70 Nicolaus de la PLANCQUE, venit Campe-
nâ, ord. d. 13. Maji, M. 1702. d. 8. Aug.
- 71 Cornelius DANCKERTS, Amstelodamensis,
venit Gorichemio, ord. d. 13. Septembr. mort.
d. 27. Jan. 1693.
1666. 72 Henricus KIEFTIUS venit Alckmariâ, ord.
d. 5. Dec. mort. d. 23. Maji. 1683.
1667. 73 Henricus RYNSDYK, venit Oude-Wateria
Flandrorum, ordinat. d. 9. Jan. obiit d. 6.
Martii 1689.
- 74 Petrus Schaeck venit Alcmariâ, ordina. d. 17.
Julii, 1708. d. 17. Sept. mort.
- 75 Johannes Sylvius venit Zitterto, vocatus ad ec-
clesiam Germanicam, ord. d. 2. Aug. sed a. 1699. d.
6. Junii M.
- 76 Segerus van Son venit Roterodamo, ord. d.
11. Sept. obiit 14. Martii 1687.
1668. 77 Rudolphus Ruteus venit in è loco dicto Graft in Xe-
nodochium ordin. d. 4. Mart. d. 9. Jun. 1688. M.
1670. 78 Petrus van der Hagen, Amstelodamensis, ve-
nit Lugduno, ordin. d. 1. Mart. obiit 1671. d.
3. Julii
- 79 Gualterus BODAAN Courten, venite Veerâ
Selandorum, ord. d. 31. Aug. 14. Febr. 1684. M.
- 80 Bernhardus Homoet, venit Roterodamo, ord. d.
14. Decemb. Emeritus ab a. 1708. d. 20. Sept. o-
biit 1717.

1671. 81. Bernhardus Somer, gener magni Archithalassæ Ruyterii. venit Vlissinga ord. d. 29. Nov. d. 2. Jun. 1684. M.
1672. 82. Gisbertus Oosfroom venit Kulenburg ordin. d. 21. Febr. obiit d. 6. Maj. 1706.
83. Jacobus Beugholt, Amstelodamensis venit Ofsaniâ, ordin. d. 14. Aug. obiit 10. Sept. 1677.
1677. 84. Joannes Reeland, venit Alcmaria ordin. d. 19. Dec. obiit d. 18. Aug. 1703. Hic Adr. Reelandi pater fuit.
1679. 85. Theodorus Beelts venit è Maessloys, ordin. d. 19. Febr. obiit d. 31. August. ejusd. anni.
86. Balthasar Becker, vocatus è loco Weesp die eto, ord. d. 31. Dec. d. 11. Jun. 1698. M.
1680. 87. Joannes Oyers, venit Zvvollâ d. 15. Dec. d. 5. Jun. 1704. M.
1681. 88. Guilielmus Anslaer, Gener J. Cocceji venit Delphis, ord. d. 2. Febr. d. 14. Jul. 1694. M.
90. Joannes van Doreslaer, Amstelodam. venit Medenblikio. ord. d. 30. Martii M. d. 2. Apr. 1707.
1682. 91. Jacobus Vasseur vocatus Svammerdamio. ord. d. 19. Apr. obiit 11. Jan. 1686.
1684. 92. Albertus van Westerhoff, venit è Sloterdijk d. 23. Apr. d. 27. Sept. 1702. M.
94. Johannes Smit, vocatus Alcmariâ ord. d. 30. Apr. obiit 23. Maj. 1710.
1685. 96. Gerardus van der Port, vocatus Londino ex Anglia, ordin. d. 28. Oct. d. 10. Sept. 1691. M.
97. Adrianus van Wesel, venit Leovardia 18. Nov. 16. Jan. 1710. M.
1686. 98. Joannes de Roy vocatus Edamo, ord. d. 1. Maj. obiit 11. Febr. 1695.

- 99 Leonardus Groenevvegen, vocatus Schonho-
via, ord. d. 17. Jun. 6. Maj 1696. M.
1687. 100 Petrus du Bois vocatus Gorichemio, ord. d.
25. Mart. 1698.
1689. 102 Jacobus Streso, vocatus Delphis ordin. 12.
Jun. M. d. 11. Apr. 1708.
1692. 104 Adrianus van Oostrum, translatus ex Angli-
cana Ecclesia, ad Belgicam ordin. d. 20. Julii.
obiit d. 10. Jan. 1716.
1694. 108 Henricus Winter, vocatus è loc. dicto Ka-
pelle ad Isalam, ordin. d. 14. Nov. M. d. 27.
Aug. 1700.
1699. 113 Clemens Streso, Vide T. 1. pag. 579, 580.
1702. 115 Otto Brantz Swalmius, vocatus Enchusâ,
ord. d. 22. Octob. M. d. 6. Maj. 1710.
1706. 120 Abrahamus Chansleury, vocatus Sylva Ducis,
ord. d. 8. Aug. M. d. 21. Sept. 1714.

II,

In ecclesia GALLICA sive
WALLONICA.

1578. 1 Jean de la Crève.
1585. 2 Jean Hochede, dictus de la Vigne vocatus d. 16.
Sept.
1590. 3 Jean Tassin.
1601. 4. Simon Goulart, vocatus Vefalia, ord. d. 1. Oct.
1613. 5 Thomas Maurois ord. d. 23. Jun. mort. d. 5. Au-
gust. 1646.
1617. 6 Fabrice de la Bassécour, mort. d. 29. Apr. 1650-
1621. 7 Jean Douchet.
1630. 8 Lucas Trelocatus ord. d. 5. Maj. vocatus, ad Ec-
cles. Belgicam 1634.
1634. 9 Godefroy Hottot, ord. d. 26. [Nov. M. d. 26.
Jun. 1656.

1647.

1647. 10 Henry Blancheteste, vocatus Trajecto ad Mos-
sam d. 14. Octob. 1646. ord. d. 28. Apr. 1647.
M. d. 10. Aug. 1670.
1650. 11. Nicolaes de la Bassecour vocatus Vlislingâ,
ord. d. 26. Jun. d. 17. Maj. 1677. M.
1656. 12. Nicolaes Colvius vocatus Dordracod. 20. Maj.
ord. d. 20. Aug. Propter senectutem Emeritus
ab A. 1711. d. 21. Apr.
1670. 13 Louis de Volzogue; vocatus Trajecto ad Rhe-
num d. 26. Oct. ord. d. 21. Dec. d. 13. Novemb.
1690. M.
1677. 14 Pierre Pierot vocatus ex urbe ter Goes, Kal.
Aug. ord. d. 7. Nov. M. d. 1. Julii 1688.
1688. 15 Etienne Morin, V. D. Minister Cadomensis, vo-
catus d. 8. Aug. ord. d. 17. Oct. Emeritus factus
d. 25. Jul. 1699. obiit d. 5. Maj. 1700.
- 16 Pierre Ysarn vocatus d. 8. Aug. ord. d. 17.
Oct. Emeritus factus d. 27. Oct. 1712. 23.
Maji 1714. M.

Nunc in ea docent

- Abraham Boddens, Amstelodamensis ab a. 1688.
Nicolaus Colvius, filius, Amstelodamensis, inde ab a. 1705.
Godofredus Clermont, Amstelodamensis, ab a. 1705.
Anthonius d' Arbussy, ab a. 1713.

III.

In ecclesia Anglicanâ.

1607. 1 John Pagett, primus V. D. Minister, ordin. d.
29. Apr.
1617. 2 Thomas Pots, vocatus Vlislingâ d. 12. Martii,
M. 1635.
1636. 3 John Rutilius, vocatus Heidelbergâ ord. d. 27.
Janis

- Jan. translatus ad Ecclesiam Germanicam 1639
Mens. Decemb.
1637. 4 Julius *Hering*, vocatus Salopia Angliae urbed.
6. Decembr. M. 1645.
1639. 5 Thomas *Pagett* vocatus è Blakeley prope
Manceltriam in Anglia d. 27. Nov. rediit Sa-
lopiam d. 29. Aug. 1646.
1646. 6 Richard *Mazden*, vocatus Ultrajecto d. 31. Oc-
tobr. ordin. d. 17. Martii 1647. Emeritus 1669
M. Martio obiit d. 4. Oct. 1670.
1648. 7 Willem *Price*, vocatur Londino d. 9. August.
obiit 1666. M. Julio.
1660. 8 Richard *Woodward*, vocatur è Westmaas d. 2.
Sept. ordin. d. 31. Oct. M. d. 23. Aug. 1699.
1669. 9 Alexander *Hodge*, vocatus Delphis d. 6. Febr. M.
d. 2. Dec. 1689.
1690. 10 Adrianus van *Oostrum* vocatus Londino d. 15.
Octobr. è Belgica Ecclesia & ordin. d. 25. Feb.
1691. Ex Anglicana in Belgicam vocatus a. 1692
Nunc in ea docent.
- Hugo *Fitts*, Amstelodamensis ab a. 1700.
Daniel *Rainey*, ab a. 1710.

F I N I S.

(0)



BIBLI-